LOGICAE,

ET METAPHYSICÆ

SYNOPSIS

CUM PRÆFATIONE

HISTORICA

AB ELEMENTIS PHILOSOPHIÆ

R. P. F. LAURENTII ALTIERI

EXARATA

AD USUM STUDIOSÆ JUVENTUTIS SEMINARII

AREQUIPENSIS

DIVI HIERONYMI.

AREQUIPÆ ANNO 1844:

TYPIS PETRI A BENAVIDES.

I.

PRÆFATIO HISTORICA.

1 Scientia rerum omnium sivé divinarum, sivé humanarum, quae adspectabilem mundi machinam componunt ex recto ratiocinio derivata, dicitur *Philosophia,* quod idem sonat ac Sapientiae studium, nomenque istud primúm a Pythagora habuit, nam ante ipsum, qui huic scientiae vacabant, *Sophi,* id est, sapientes iactabunde dicebantur.

2 Dividitur, ergo, Philosophia varias in partes: nam, ea, quae mentem dirigit ad veritatem inveniendam *Logica* nuncupatur, quae de spiritubus agit *Metaphysica,* quae corpora scrutatur *Physiea,* quae, tandem, de bono et moribus disputat *Ethica* appellatur.

3 Hanc Universi scientiam Adamo infussamfuisse, res certa videtur. Verum cum innocentiae status in illo perierit, mens humana ignorantiae tenebris circunfussa studio, ac labore naturae scientiam sibi debuit comparare. Multa, quidem, variarum doctrinarum, semina a primo Parente transmissa, oretenús, fuere, praecipué, quae, ad Dei cultum, mundique originem, spectabant, quae antediluviani Patres memoriae commendarunt, ac, post diluvium a Noemo, eiusque posteris in universam terram diffussa sunt.

4 Fabulis, tamen, successu temporis inquinata Philosophia, multorum labor, ac plurium saeculorum observatio, ad eam restaurandam, necessaria fuere, praecipué in his, quae physicas et astronomicas veritates respiciunt: in quo, primùm, incubuerunt Chaldaei astronomiae fama, in antiquitate celeberrimi: deinde Persae, Indi, et Seres ob syderalem scientiam, et nauticam, ac Phenices ob litterarum inventionem, famigeratissimi, ac, tandem Egiptii litterarum studio florentissimi, et Traces, quorum praeceptor traditur Orpheus.

5 Haec fuit *Barbaricœ* philosophiae origo, atque progressus usquedum Graeci, saeculo ante Christi adventum septimo, eam ad certam methodum redegerunt, conquisitis, undique, doctrinis ipsam illustrantibus, unde *Grœcanica* philosophia prodiit, quae, quidem, in varias sectas, seu scholas divisa fuit pro diversis docentium, atque, etiam, oppositis opinionibus, ex quibus principes fuere *Jonica, Italica,* et *Eleatica.*

6 Thales natione Milesius unus ex septem Graeciae sapientibus, ac Pherecidis Syrii discipulus fuit Jonicae sectae auc-

tor, eique multum Physica debet, rejectis, quipe, religionis questionibus barbaricae philosophiae, in naturales, tantummodo res totam mentis aciem intendit, unde Jonici Physici ac Athei appellabantur. Thales pro rerum omnium principio posuit aquam: mundum censuit animatum, ac daemonibus plenum: astronomiam, et geometriam plurimum coluit: Deum mundi auctorem, ac animae immortalitatem cognovit.

7 Anaximander Milesius de horoscopiis, sphaera, gnomone, ac geografia valde meritus succesit Thaleti, eique Anaximenes, huic Anaxagoras, cui Archelaus praeceptor Socratis, qui maximum scholae Jonicae dedit incrementum, et cujus illustriores discipuli fuerunt Aristipus sectae *Cyrenaicæ* auctor, Phaedo *Eliacæ,* Euclides *Megaricæ,* Plato *Academicæ,* et Antistenes *Cynicæ,* ex qua prodiit *Stoica* quae circa mores potissimum occupatur, ac virtutes docet, ideo praestantissimi Graecorum, Romanorumque eam coluerunt, cuius que auctor fuit Zenon Citticus, qui annis circiter tercentis cuatuordecim ante Christum floruit.

8 Eodem circiter tempore cum Jonica nata est *Italica* Secta a Pythagora Samio Pherecidis discipulo, qui, post multas peregrinationes, ut Sapientiores consuleret, Crotone scholam aperuit plurimis discipulis, quibus per quinquenium silere praecepit. Ejus ingenio, ac studio multum debent Geometria, Arithmetica, et Musica, multiplici invento ab ipso locupletatae. De Deo, quem totius mundi animam censuit, ac de rebus corporeis subtiliter disputavit: notissimusque est ejus error *Metempsicosis,* id est, animarum de uno in alia corpora transmigratio.

9 Secta *Eleatica*, ita dicta ab Elea, vel Velia urbe magnae Graeciae, quae hodie Italia nominatur, orta est fermé cum Italica a Xenophano Colophonio: celebremque eam fecere Zeno Elaetes praeceptorum Logicae inventor, Parmenides, Leucippus, Democritus, Heraclitus, et Epicurus, quorum philosophia *Corpuscularis, Athomistica,* vel *Mechanica* dicta fuit, eo quod corpuscula quaedam, seu athomós pro materia prima statuerit.

10 Ex dictis, aliae plures sectae, quas eruditus Stanleyus nominat ortae sunt; sed nos praecipuas *Platonicam,* et *Aristotelicam* nominabimus. Illa, Platonem Socratis discipulum habuit auctorem, florentem saeculo ante Christum IV, qui

in horto Athenis suburbano Academia dicto scholam aperuit ad cuius januam scripsit: *nemo Geometriæ ignarus ingreditor,* formamque sumpsit philosophandi *eclecticam,* sivé liberam, ac de rebus logicis, metaphysicis, physicis et politicis disputavit.

11 Platonis discipulus Aristoteles ab Stagyra oriundus, vir subtilissimus, et Praeceptoris doctrinae contemptor Athenis in quodam lycaeo, seu porticu scholam aperuit, ubi quia deambulando docebat, Peripatetica, seu deambulatoria dicta est: in ea Logicam plusaequo coluit, Politicam, Rethoricam, Poeticam, Ethicam, ac Physicam illustravit.

12 Haeccinae celebriores philosophorum sectae ante Christum natum, postquod temporis multi Platonem secuti sunt, tam ex Judaeis, quam ex Gentilibus, ac etiam ex Sanctis Ecclesiae Patribus, quamquam istós potius eccleticos dicas.

13 Aristoles moriturus ejus discipulo Teophrasto sua scripta reliquit, vetans, ne publica fierent, quae, deinde, in Nelaei manus pervenére, ejus que haeredes subtus terram condiderunt, ne in bibliothecam Regis Pergami tranferrentur. Effossa exinde, post centum sexaginta annos, multo pretio Apelliconi vendita sunt, ac postea Romae comparata, purgatis mendis, lacunisque injuria temporum irreptis, a Tiranione, et Andronico restaurata fuere, sicque philosophia peripatetica, jure postliminii, revocata fuit, anno, circiter, sexagessimo tertio ante Christum, pluresque sectatores invenit, praecipue, cum Alexander Aphrodisiensis edidit ipsius commentaria, itaut, Romae, Marco Aurelio, et Lucio Vero imperantibus. publicé Aristotelis interpretabatur doctrina, et sensim scholas occupare caepit, maxime cum Boetius, saeculo sexto, latine eam vertit, et Joannes Damascenus, saeculo octavo, ipsius edidit compendium.

14 Gotthorum, Ostrogothorum, Wandalorum, Longobardorum, aliorumque hujus furfuris barbarorum irruptionibus, philosophia et artes in Europa sepultae, prorsus, jacuerunt ad undecimum, fermé saeculum, quo Aristotelis philosophia Cordubae legebatur, arabico idiomate, diffundique caepit per Europam, ac omnes Cathedras occupare, praecipuè sub Averroe, et Avicena medicis, qui Aristotelis opera commentariis illustrarunt.

15 Ex istis novum fuit efformatum systema, quod magno plausu receptum, diuturnum exercuit imperium, omnesque

magni nominis viri secuti sunt, unde prodiit schola *Thomistarum* a Sancto Thoma, *Scotistarum* a Joanne Duns Scoto, *Nominalium* a Guillelmo Occam, quorum laboribus Aristotelis fama percrebuit.

16 Saeculo, autem, XV. contra Peripateticos insurrexerunt Bernardinus Tellez, Laurentius Valla, Marius Nizolius, Hadrianus Cardinalis, et Franciscus Patritius in Italia: Petrus Ramus, et Petrus Gacendus in Gallia. Alii veteres sectas revocare conati sunt Picus Mirandulanus Pythagoricam, Bessarion Cardinalis, et Marcilius Finicus Platonican, Justus Lipsius, et Gaspar Scioppius Stoicam, Petrus Gacendus Epicuream. Alii novam methodum excogitarunt, nempe Raimundus Lulius, Franciscus Patritius, Petrus Ramus, Hieronymus Cardanus, et Thomas Campanella; sed nullos feré sectatores habuere.

17 Felicior Galileus Etruscus jugum Aristotelis excussit, ac ad Mathematicae lancem Physicam expendens, plura detexit ignota, atque nota melioravit. Cartesius, natione Gallus, hac secuta methodo, illius principatum postravit, hincque Cartetianorum secta, quam tota, ferè, Europa secuta est; donec Isaacus Newtonus, nobilis Anglus, novis inventis, experimentis confirmatis, hypotheticam Cartetii physicam ex Anglia, aliisque Academis propulsavit. Obiit Newtonus Londini anno 1726.

18 Evulgatum Newtoni systhema, tantoque plausu receptum non plané probavit Gottofridus Guillelmus Leibnitus, Germanus, qui allia via mundi compagem explicavit, eiusque sectator fuit Cristianus Wolphius, praeteralios plurimos Germanos scriptores.

19 Horum, aliorumque praeclarissimorum Virorum laboribus, ac tentaminibus Europae Academiarum, magnos naturae scientia protulit progressus. Nos, igitur, dictis laboribus proficiscemur, si in nostris studiis nullius in verba Magistri juramus; sed probatissimo more eclectico, doctrinis tam veterum, quam Recentiorum veritatis amatorum, utimur.

LOGICA.

1 Scientia inveniendi veritatem, veraque a falsis distinguendi *Logica* appellatur. Illud, quidem, assequi possumus lumine rationis *naturali* quadam logica; sed necessaria videtur *artificialis*, utpote regulas praescribens, ut mens promptior, et expedicitior evadat in veritate investiganda. Haec, itaque, duas in partes partietur: prima institutiones, ac praecepta, quibus mens possit recte judicare, percipere, discurrere, suasque operationes disponere comprehendet: altera, verò, quaestiunculas exhibebit, ad exercitationem, et practicam regularum aplicationem.

2 Quia omnis scientia ad alicujus veritatis inquisitionem tendit, ideo Logica cuicumque scientiae necessaria est, quia directio operationum mentis est ipsius *objectum*.

3 Mens, igitur, vel rem simplicitur cognoscit absque afirmatione, vel negatione, et hic actus dicitur *Apprehensio*, vel de re aliquid affirmat, vel negat, et *Judicium* appellatur, vel ex nota veritate aliam ignotam deducit, et *Discursus* vocatur, vel tandem suas operatiónes ordinat ad veritatem demonstrandam, quod Methodum appellant Philosophi, qui quartam mentis operationem admittunt.

4 In omni Judicio tria sunt distinguenda. *Subjectum*, de quo mens aliquid affirmat, vel negat, *Prædicatum*, quod affirmatur, vel negatur de Subjecto, et *Cópula*, id est, verbum, quod nectit subjectum cum praedicato per affirmationem, vel separat per negationem.

LOGICÆ PARS I.

Sectio I. De intellectu percipiente.

CAPUT I.

DE IDEIS.

5 Cognitio rei alicujus, a mente cogitante habita, dicitur *Idea*. Si autem res menti repraesentata sensibus, etiam, objicitur, erit *Sensatio*: Si res absit a sensibus, *Imaginatio*. Regressus mentis ad contemplationem ideae *Reflectio* vocatur; et

si haec contemplatio est constans *Attentio* dicitur: Cuando vi reflectionis mens suas operationes advertit, haec advertentia dicitur *Conscientia.*

6 Ideae distinguntur vel ratione originis, vel ratione modi, vel ratione objecti.

7 Ratione originis. Platonici et Cartesiani admittunt ideas *innatas*, quae dicuntur impressae a Deo menti in ejus creatione. Nos, autem, solum distinguimus ideas in *adventitias*, quas, nempe per sensationem acquirimus, et *factitias*, illae, scilicet, quae a mente efformantur, duas ideas uniendo.

8 Ratione modi idea alia est *clara*, illa, nempe, quae per se patet, et statim a mente cognoscitur; alia obscura, quae non cognoscitur sola mentis attentione.

9 Si idea talis sit, ut nom solum exhibeat rem claré, sed etiam ipsius notas et propritates, dicitur *clara distincta*, alioquin, cuando hae ignorantur erit *confussa*. Sed, si idea, non solum rem eiusque proprietates exhibet, sed etiam ipsarum proprietatum claram distinctamque notionem prestat, vocatur ab Wolphio et Leibnitio *clara distincta adecuata;* at *inadecuata* erit illam notionem non prestans.

10 Ratione objecti ideae aliae sunt *substantiarum*, aliae *Modorum*, seu *accidentium*, aliae, *relationum*, aliae *Universales*, vel *particulares*, vel *singulares:* aliae sunt *veræ* aliae *falsæ.*

11 Omne quod per se subsistit dicitur *Substantia*, eaque, si cogitat erit *Spiritualis*: quae est perfectissima, et est solus Deus, vel imperfecta ac dependens, sed nihil ominus *completa*, ut est Angelus, aut *incompleta*, ut Anima, quia ad unionem cum corpore est destinata. Si substantia est extensa, divisibilis, et impenetrabilis *corporea* dicitur, quae vel est animata, ut animal, vel inanimata, ut lapis lignum &a.

12 *Modus*, sive, accidens est, quod non potest subsistere per sé, quin adhaereat substantiae, ut color, figura, &a. *Relationes*, sive, *Rationes* sunt respectus unius ad aliud, itaut unum sine altero cognosci nequeat, sic nequit haberi idea Filii absque idea Patris. Cave, tamen, ne ideam relativam cum ipsa relatione confundas.

13 Cuando idea rem alicuam omnibus ejusdem naturae communem repraesentat, dicitur *Universalis*: Si aliquibus tantum conveniat, erit *Particularis:* Si, verò, unum solum individum contineat, *Singularis* dicetur: erit, autem, *Vera,* si suo

objecto est conformis: *Falsa*, autem, si differt ab objecto.

14 Quinque Aristótelis, seu Porfirii praedicabilia ad ideas universales referuntur. Nempe *Genus*, idea, quae plures ideas universales continet, ut ly Animal. *Differentia*, id est, essentiale attributum, quo res a re distinguitur, ut ly rationalis. *Species* generis, et differentiae unio, ut cum dicitur animal rationale. *Proprium*, id est atributum omnibus ejusdem speciei commune, licet essentiam non constituat, ut discursus in homine. *Accidens*, qualitas, nempe, casu adveniens, ut albedo, sapientia &a. Hinc homo generice differt a lapide, specifice a Bruto, numerice non differtur, sed distinguitur unus homo ab alio.

CAPUT II.

DE VOCIBUS, QUIBUS IDEÆ MANIFESTANTUR.

15 Voces sunt idearum signa, sunt enim inventae ad illas manifestandas. *Signum*, ergo, est illud, quod cognitum ducit nos in alterius notionem: sic vox quaelibet, praeter suae significationis notionem, ducit nos ad cognitionem idae, quam illam proferens vocem, habet in mente. Unde, signum duas comprehendit ideas, unam propriae significationis, et alteram rei ab eodem manifestatae.

16 Signum aliud est *naturale*, quod ex natura sua ducit in alterius cognitionem, ut fumus in cognitionem ignis: aliud *institutum*, seu *ad placitum*, quod ex hominum institutione rem aliquam diversam significat, ut rami tabernis appossiti, vinum ibi vendi, indicant.

17 Dupliciter ideae nostrae manifestantur, vel naturaliter per gestus, et tonos, quibus dolorem, gaudium, amorem, admirationem &a patefacimus, quod quidem omnibus animantibus commune est: vel arbitrarie, seu artificialiter, per idiomata verborum, ideoque eadem idea diversis vocibus exprimitur, pro diversitate linguarum, et vicissim, eadem vox diversas ideas significat. Voces, etiam, sicut ideae vel sunt clarae, vel obscurae &a.

CAPUT III.

DE RECTA IDEARUM ACQUISITIONE.

18 Cum pleraeque nostrae mentis ideae confusae sint, et

obscurae, Philosophus curare debet, ut claras, distinctas que eas acquirat: removendo obscuritatis, et confusionis causas, quae, quidem, vel sunt *internae*. ab ignorantia, ab hebetudine mentis, ab inertia, aut ab inconstantia et levitate, pendentes; vel *externae* a praeocupationibus, educationis, aut ab ineptis, et imperitis praeceptoribus, provenientes.

19 Cavendum est ergo, 1º ne plura objecta simul assequantur, neque nimia inconsideratione ideis quibuscumque assentiatur. 2º ne curiosius inquirantur ea, quae capacitatem excedunt, neque ad eas scientias animus applicetur ad quas nulla est aptitudo. 3º Opiniones populi non amplectantur, quin rationem, et Sapientum sensum consulatur. 4º Tandem: animadvertat studiosa juventus, sapientiam in exelso positam esse, ac non, nisi studio, ac improbo labore, posse comparari. Quare Horatius.

"Qui cupit optatam cursu contingere metam
"Multa tulit, fecitque, puer, sudavit, et alsit,
"Abstinuit Venere, et Vino.

Sectio II, De intellectu judicante.

CAPUT I.

DE PROPOSITIONUM NATURA, ET PARTIBUS.

20 Judicium (3) exterius vocibus manifestatum dicitur *Propositio*, seu enunciatio: est, ergo, *propositio*, Oratio aliquid affirmans, vel negans de alio, ideoque constat ex subjecto, copula, et praedicato expresso, vel tacito, ut si dicatur: Petrus legit, idem est, ac dicere: Petrus est legens.

21 In omni propositione considerari debet eius *Materia*, *Cuantitas et Cualitas*.

22 *Materia* est convenientia, aut repugnantia inter subjectum, et praedicatum, ideoque propositio potest esse in materia *Necessaria*, scilicet, cuando praedicatum non potest non convenire subjecto, ut ista: Deus est Omnipotens. Erit in materia *Impossibili*, si attributum nullo modo potest convenire subjecto. Erit, tandem in materia *Contingenti* si praedicatum potest convenire, vel non subjecto: ut homo est sapiens. Propositio in prima materia semper est verax, si affirmat; falsa, autem, si negat: in secunda, è contra, falsa si

affirmat; vera, si negat: in tertia, tam affirmando, quam negando potest esse vera, aut falsa.

23 Cualitas propositionis est affirmatio, vel negatio. Ut, autem, propositio negativa sit, debet particula negans refferi ad Copulam; si, enim, ad subjectum, vel praedicatum refferatur, non erit negativa. In affirmativa, autem, propositione praedicatum, semper, sumitur particulariter; in negativa, autem, universaliter.

24 Cuantitas est subjecti extensio, et latitudo, erit igitur singularis, particularis, vel universalis juxta acceptionem subjecti (n. 13) Cuantitas, et Cualitas propositionis a Logicis dessignata fuit per vocales A. E. I. O. ita ut A denotet universalem affirmativam, E universalem negativam, I. particularem affirmativam O particularem negativam.

Asserit A; negat E, verum universaliter ambo
Asserit I; negat O, verum particulariter ambo.

CAPUT II.

DE MULTIPLICI PROPOSITIONUM GENERE.

25 Propositio, vel est *simplex,* quae uno, tantum, constat subjecto, et praedicato; vel *composita,* seu complexa, quae plura habet subjecta, aut praedicata, aut simul plura subjecta, et praedicata. Cave, tamen, ne incidentes terminorum sumas pro pluribus vel subjectis, vel praedicatis, ut in ista: Gregorius XVI, qui Romae sedet, est Vicarius Christi: haec propositio erit simplex, sublata, enim incidens, remanet, Gregorius XVI est Vicarius Christi: Sed in hujus generis propositionibus advertere oportet, quod quando simplex est vera, et incidens falsa, non negatur propositio, sed suppositum; secus, si falsa sit simplex, licet incidens sit vera.

26 Propositio composita vel est expressa, vel latenter, id est, cuando apparet simplex, et reipsa est composita. Ad primam classem spectat 1º *Conjunctiva,* seu copulativa, illa nempe, quae plura habet vel subjecta, vel praedicata connexa per particulas, *et atque* &a affirmativas, vel separata per negativas, *nec, non,* &a. Ut ea sit vera, omnes ejus partes debent esse verae, alioquin, si una sit falsa, licet reliquae verae, tota erit falsa.

27 2.° *Disjuntiva,* quae est illa, cujus partes disjuntivis particulis, *aut, vel* &a constant, quae, ut sit vera requirit, ut ejus partes taliter sint dispositae, ut praeter ipsas nullum aliud medium remaneat; secus erit falsa.

28 3.° *Conditionalis,* quae duas habet partes, quarum una praefixam habens particulam *Si,* dicitur Conditio: altera, ex prima dependens, Conditionatum appellatur. Ejus veritas pendet, ex quo, posita conditione, necessario sequi debeat conditionatum, si, enim, non sit ista connexio, falsa erit.

29 4.° *Causalis,* duas habens partes, quarum una ponitur pro causa alterius. Haec, ut sit vera exigit, ut prima pars, reipsa, sit causa alterius.

30 Propositiones latenter compositae sunt 1.° *exclusivæ,* aut exceptivae, quae particulam excludentem habent. 2.° *Comparativæ,* quae comparativo nomine exprimuntur. 3.°, tandem *inceptivæ,* aut *desitivæ,* quae indicant initium alicujus rei, finemque alterius, vel é converso.

CAPUT III.

DE DIVISIONE, ET DEFFINITIONE.

31 Enumeratio partium unum totum componentium dicitur *divisio.* Haec ut recté procedat debet esse 1.° *adecuata,* id est, ut membra simul sumpta, neque excedant totum divisum, neque ab eo deficiant. 2° Membra sint distincta, nec unum in altero contineatur. His duabus regulis servatis recta erit divisio.

32 *Definitio* est explicatio rei alicujus, vel vocis. Ea debet esse 1.° clarior definito, est, enim, explicatio rei definitae. 2.° debet esse *propria,* idest, quod ita rei difinitae conveniat, ut aliis diversis nequeat applicari. 3.°, tandem, debet esse *universalis,* ita ut, comprehendat omnes rei deffinitae individuos, si, enim, aliqui excludantur, non erit vera difinitio.

Sectio III. De intellectu ratiocinante.

CAPUT I.

DE SYLLOGISMO, EJUSQUE REGULIS.

33 Discursus, ut jam diximus (3) ex una nota veritate

aliam innotam deducit, quod per ratiocinationem mens agit comparando duas propositiones inter se, ut tertiam deducat, quod syllogismus dicitur, sed si ope vocuum exterius manifestatur, argumentatio appellatur.

34 Id autem mens operatur, cuando ad dubium aliquod solvendum, quaerit tertiam aliam ideam cum qua comparat terminos propositionis dubiae subjectum, nempe, et praedicatum. Dubitat v. g. mens, an Sol sit igneus? Ad solutionem, quaerit tertiam ideam comparationis terminorum *sol*, et *igneus*, et comparat, separatim, cum tertia inventa, quae erit, *urit*, et solvit hoc modo.

Quod urit est igneum—En comparatio cum praedicato propositionis dubiae
Sed Sol urit—En comparatio ejusdem tertiae ideae cum subjecto
Ergo Sol est igneus—En deductio ignotae veritatis, ex notis aliis.

35 Patet, ergo, syllogismum, sivé argumentationem ex tribus componi propositionibus, et tribus ideis. Propositio 1a. dicitur major, 2a. minor, 3a. consequens, seu conclusio. Similiter tres ideae vocantur termini syllogisimi, major, minor, et medius. Minor terminus est subjectum conclusionis, major, praedicatum ejusdem, et medius in utraque praemissa invenitur, numquam in conclusione. Major, et minor propositio praemissae appellantur. Medius, autem, terminus deffinitur: idea ad quam comparantur duae aliae ideae.

36 Sillogismus recté concludet, ita ut concessis duabus praemissis, conclussio necesario concedi debeat, si in ejus compositione regulae sequentes serventur; alias; erit parallogismus.

1a. Tribus unice terminis componatur ut dictum est.

2a. Medius terminus saltem in una praemissarum sumatur universaliter, nam, si in utraque sit particularis, duas diversas ideas efficiet, eruntque quatuor termini. Sic vitiosum erit dicere: Ominis homo discurrit, sed Angelus discurrit, ergo homo est Angelus: alius est, enim, discursus hominis, alius Angeli.

3a. Termini in conclusione nequeunt esse universaliores, quam in praemissis, nisi in essentialibus, particularis, enim, significatio non continet universalem, sic non valet dicere Petrus est sapiens, sed Petrus est homo, ergo omnis homo est sapiens. Valet tamen sic, Petrus est rationalis, sed Petrus est homo, ergo omnis homo est rationalis; quia rationalitas est essentialis.

4a. Ex praemissis negativis nihil, directe: concluditur: nam

duae ideae illae nequeunt uniri cum tertia: ergo neque in conclusione unientur.

5a. Ex praemissis affirmativis affirmativé concluditur: uniuntur, enim duae ideae cum tertia, ideo debent uniri in conclusione.

6a. Conclusio sequitur debiliorem partem. Si una ex praemissis est negativa, aut particularis, aut probabilis, conclusio debet etiam esse negativa, vel particularis, vel probabilis, quia sicut ideae conveniunt in praemissis, ita concludi debet.

CAPUT II.

DE VARIIS ARGUMETATIONIS SPECIEBUS.

37 Sunt et alia argumentationis genera, quae ad syllogismum reduci possunt; nempe, Epicherema, Entimema, Dilemma, Sorites, Exemplum, Inductio, et Analogia.

38 *Epicherema* est ipse syllogismus, cum arguit per probabilitatem, et non per apodixim, seu demonstrationem.

39 *Dilemma*, sive argumentatio cornuta, continet duo extrema, ex quibus quodcumque eligatur, in commodum admittitur: v. g. aut servis Deo, aut diabolo, si Deo, castiga corpus tuum, et in servitutem redige: si diabolo, in ignem ipsi paratum ejicieris.

40 *Entymema* est syllogismus duabus tantum propositionibus constans, una tacita praemissa: ex antecedenti, scilicet, et consequenti, ut iste: Virtus est amabilis, ergo humilitas est amabilis.

41 *Sorites* constat ex variis propositionibus, sed praedicatum primae debet esse subjectum secundae, hujus praedicatum, subjectum tertiae, sicque deinceps, donec praedicatum ultimae propositionis conveniat in conclusione cum subjecto primae. En exemplum: Anima discurrit; Quod discurrit, est spirituale: Quod est spirituale, caret partibus: Quod caret partibus, non corrumpitur: Quod non corrumpitur, non moritur: Ergo anima non moritur.

42. *Exemplum* arguit per similitudinem. V. g. Tempestibus succedit serenitas: ergo afflictionibus succedet solatium.

43 *Inductio*. Ex particularibus progreditur ad universalia: ut Aqua gravitat, aer, ignis gravitant: ergo omne corpus gravitat.

44 *Analogia.* Ex uniformitate legum, quibus Deus mumdum condidit, deducit similia in similibus: sicuti cum ex structura sensuum deducimus, functiones eorum easdem esse in hominibus, et brutis.

CAPUT III.

DE SYLLOGISMIS COMPOSITIS.

45 Hucusque de syllogismo simplici egimus, nunc, ut ad compositos transeamus, sciendum est, eos esse illos, qui pro majori habent aliquam ex propositionibus compositis, de quibus supra, itaque syllogismus compositus erit.

46 1. *Copulativus,* qui ex duabus, quas habet, partibus, si affirmat unam in minori, negat alteram in conclusione: v. g. Nemo est Catholicus, et negat potestatem pontificiam, sed Lutherani negant pontificiam potestatem: ergo non sunt Catholici. Si, autem pars una negatur in minori, altera affirmatur in conclusione: Sed Lutherani non sunt Catholici: ergo, negant &a.

47 2. *Disjunctivus* arguit similiter: v. g. Aut anima est spiritus, aut materia, sed est spiritus; ergo non materia. Vel, sed non est materia; ergo spiritus. Hujus syllogismi vis pendet ex dictis num.° 27.

48 3. *Conditionalis.* Ex positione conditionis in minori, ponit conditionatum in conclusione; v. g. Si Sol urit, est igneus, atqui Sol urit, ergo est igneus. Vel ex negatione conditionati in minori, negat conditionem in conclusione: v. g. Si anima est mortalis, est corpus, sed non est corpus; ergo non est mortalis. Vis hujus syllogismi pendet ex necessaria connexione inter conditionem, et conditionatum (28).

49 4 *Causalis* tribuit in minori uno subjecto eamdem causam quam alteri dedit in majori, ac infert in conclusione, subjecto minoris competere attributum majoris V. g. Ideo materia corrumpitur qnia est divisibilis, sed aurum est divisibile, ergo corrumpitur. Vel si negat in minori, negat in conclusione: V. g. Ideo Sol urit, quia est igneus, sed Luna non est ignea, ergo non urit. Veritas hujus syllogismi fluit ex dictis num.° 29.

CAPUT IV.

DE SIMPLICIUM SYLLOGISMORUM, FIGURIS ET MODIS.

50 Varia collocatio medii termini (35) in praemissis figura syllogismi appellatur, quae, quidem, necessaria est ad rectam argumentationem. Tres a scholasticis assignantur figurae, nam medius terminus vel est subjectum majoris, et praedicatum minoris, vel in duabus praemissis est praedicatum, aut subjectum: et non admititur 4a. figura quia ipsa erit inversio primae, et non est in more. Figurae, ergo, admissae hoc continentur versiculo,

Sub. prae. 1a. 2a. bis prae. 3a. bis sub.

51 Modus syllogismi est combinatio propositionum in ratione quantitatis, et cualitatis. Nos rejicimus illam multiplicem combinationem, quam veteres Scholastici ex vocalibus A. E. I. O. efformabant, quia innutilis est, magnaque ex parte vitiosa, sed assignabimus tres regulas modorum figuris respondentes.

52 In 1a. figura major sit semper A, juxta dicta (24) et minor I. Secunda in figura: major sit A, vel E. et conclusio negativa sicut una ex praemissis: In 3a. tandem: major, et minor sint cujuscumque quantitatis, sed qualitas minoris sit affirmativa, conclusio, vero, I, vel O.

CAPUT V.

DE SOPHISMATIBUS, SIVE FALSIS RATIOCINIS.

53 *Sophisma* dicitur falsa conclusio a praemissis, quae ut verae habentur derivata. Hoc autem accidit cuando una ex praemissis uno sensu non est vera, licet talis sit in altero, aut cuando hillatio non est recta, ut patet ex secuentibus.

54 Fallacia dicta *accidentis*, quae assumit tamquam conveniens alicui, id quod accidentaliter contigit ei V. g. Quod videtur corporeum est, sed Deus visus fuit ab Adamo, ergo est corporeus.

55 Fallacia *dicti non simpliciter consequentis*, quae ex vero arguit ad quod non est verum: V. g. Deus non patitur, sed Cristus passus est, ergo non est Deus.

56 Fallacia *non causae pro causa:* quae assumit tamcuam causa, quod, reverà, non est causa: V. g. Quod est causa ruinae non debet admitti, sed Romanum imperium ruinam passus est ab ingressu Religionis Cristianae: ergo Religio Cristiana non debet admitti.

57 Fallacia *petitionis principii,* sive *circulus vitiosus* assumit in probatione idipsum, quod est in quaestione: V. g. Materia subtilis replet omnia, ergo non datur vacuum. Prob. ant. Si datur vacuum, non datur materia subtilis, atqui non datur vacuum: ergo materia subtilis replet omnia.

58 Fallacia dicta *ignorantia elenchi* est aberratio a quaestionis scopo, ut, si dicatur: occultae cualitates Peripateticorum rejiciuntur a schola, sed vis magnetica est cualitas occulta: ergo rejici debet. Sophisma est haec argumentatio, nam magnetissimus stabilitur ab effectibus, nil de ejus causa deffiniendo.

59 Fallacia *compositionis,* et *divisionis* infert, conjuctim esse véra ea, quae separatim talia sunt, vel ex adverso. Si enim dicatur: nullum corpus lucidum est tenebrosum, propositio est vera in sensu composito, quia corpus non potest esse simul lucidum, et tenebrosum; falsa, autem, est in sensu diviso, nam corpus lucidum potest fieri tenebrosum per lucis absentiam.

60 Sunt et aliae fallaciae, quae per se patent, ut 1a. *accentus,* quae pendet ab ejus mutatione, veluti: *morari* correpta prima syllaba significat manere; eaque producta insanire. 2a. *Figura dictionis,* id est, lusus verborum eorum modo dessinentium: sic Romani Tiberium vocabant biberium. 3a. *Homonymia,* usus, nempe verborum ambiguae significationis, ut, si quis argueret in coelo esse pascua, ex quo sit aries. 4a. tandem, *Amphibologia,* in pluribus vocibus, quarum varius potest esse sensus, ut illud oraculum delphicon: *ibis redibis, non, in bello peribis.*

CAPUT VI.

DE DEMOSTRATIONE.

61 *Demostratio* est probatio alicujus propositionis in evidentia innixa. Ea est a' *priori,* quando per causam effectus

probatur, ut vitae hominis instabilitas probatur ex ignorantia diei, et horae exitus ejus: et a *posteriori*, quando per effectus probatur, causa, ut ex veteribus arquitecturae monumentis, probatur, antiquitus extitisse illius artis peritos. Fit etiam demonstratio indirectè, cum ex per absurda propositione, veritas oppositae deducitur.

62 Demostratio certissime nos ducet ad veritatem, modo in illatione non discedamus a regulis syllogismis praescriptis, quia ex veris praemissis, necessario, vera sequitur conclussio. Ut autem, id assecuamur examinandum est ¿num deffinitiones, quibus utitur in argumentatione, ad praescriptas regulas respondeant? (32) ¿num propositiones certe sint et evidentes? numque recta sit sequela syllogismorum?

Sectio IV. De intellectu suas operationes disponente.

63 Haec intellectus operatio *Methodus* appellatur, quae est *Analitica*, et *Synthetica*. De ipsis separatim agemus, postquam deveritate, ad cujus assecutionem Logica tendit, aliqua dicamus.

CAPUT I.

DE VERITATE, EJUSQUE OPPOSITO FALSO.

64 *Veritas* est conformitas inter subjectum et praedicatum. Si haec convenientia sit cum aeternis Dei ideis, veritas erit *metaphysica: Moralis,* autem, si convenientia idearum sit cum signis, et verbis externis, itaque disconformitas vocatur *mendacium.* Veritas, tandem, dicetur *Logica,* si conformitas idae sit cum objectis consideratis, ita ut, disconformitas *falsitas* vocetur.

65 Veritas quae nititur indubio principio *certa* dicitur. Sic certum est per demonstrationem: demptis aecualibus partibus ex aecualibus, remanere aecualia. Certum per sensationem: corpora existere. Si veritas hypothesi nititur, dicitur *hypotetica, probabilis,* aut opinio, veluti, solem fixum stare ex hypothesi, quod terra movetur. Falsum, quoque, *certum* aut *probabile* dicitur, ex repugnantia certo, vel probabili principio: certo falsum erit, corpus indivisibile esse: probabile falsum, Lunam influere.

66 Scientia, et fides ad certam veritatem referuntur. *Scientia* est cognitio clara et evidens usu rationis comparata: *Intuitiva* dicetur si splendescit ex ipsa idearum comparatione. *Demonstrativa* si habetur ex ratiocinio. *Sensitiva,* si per intimum sensum acquiritur.

67 *Fides* est certitudo ex alterius auctoritate. Differt à scientia, quia in ista certi sumus ob claram cognitionem conformitatis inter subjectum et praedicatum, infide, vero, credimus propter auctoritatem narrantis. Fides, si pendet a Dei autoritate est infalibilis, et *divina* vocatur: si ab hominum, erit *humana,* et ponderari debet.

68 Cognitio certa convenientiae subjecti cum praedicato *Evidentia* vocatur, quae erit *Mathematica,* si falsitas est impossibilis, ut *Totum est majus sua parte.* Erit *Physica,* si per sensationem, aut demonstrationem acquiritur. Si vero pendet ab auctoritate *Maralis* dicitur. Argumentum ex certa veritate per ratiocinium deductum, *apodicticon,* graece, id est, demonstratio appellatur, de qua num 61.

69 Veritas erit *dubia* si infirmis fundamentis nititur, sed nil è contrario opponitur, ideoque mens manet anceps. *Dubium* erit *negativum,* quando, pro alicuo, et contra eum nullae militant rationes: erit *positivum,* si pro, et contra aecualia militant momenta.

CAPUT II.

DE METHODO ANALYTICA.

70 Methodus analytica seu inventionis est ad veritatem detegendam: eaque inquiritur 1.º cum ex notis effectibus causam indagamus. 2.º cum ex notis causis earum effectus quaerimus 3.º cum ex proprietatibus partium ad totum tendimus: 4.º cum ex toto, parteve, aut proprietate relicuas inquirimus.

71 Quae veritatem inveniendae viam sternunt assumuntur: 1º ab *intima conscientia.* 2.º a sensibus, sive *experimentis.* 3.º a *ratiocinio* 4.º ab *auctoritate.* Intima conscientia, ergo, seu internus sensus, unice, potest edocere veritatem corum, quae nobis intima sunt veluti amor, dolor, voluptas, moeror &a.

72 At externis sensibus utimur cum de rebus extra nos positis judicamus, ac experimentis innitimur, modo 1.º Or-

gana sensoria nullo vitio, vel morbo laborent. 2.° medium inter organum, et objectum recte se habeat. 3.° Mens sit absque praeocupatione. 4° Plurium sensuum testimonium adhibeatur, ac ohjectum, sub diversis circunstantiis strictè observetur. 5°, tandem, si instrumenta ad observationem adhibeantur, ea sint recta, et rectissimé disposita. Cave, autem, ne ex uno, vel alio experimento universales consecuentias elicias.

73 *Ratiocinio* utimur cum res non subjácet sensibus, ideoque principiis stabilitis, et generalibus regulis innitendum est, atque conjecturis, modo istae naturae simplicitatem secuantur, si enim, juxta eam multa phaenomena accidunt, nulla erit ratio, cur eidem alia similia non tribuantur.

74 *Auctoritas*, tandem, tanti momenti erit, cuanta vis fuerit rationum adductarum, erit, enim, jurare in verba Magistri, si absque maturo examine auctoritati credimus. Sola divina auctoritas potest captivare intellectum nostrum in obsequium revelationis, quoties certi sumus, Deum locutum fuisse per se in scripturis, aut per Ecclesiam in traditione, et Conciliis generalibus: Imo, ex illa, infallibile sumemus argumentum ad demonstrandam veritatem, tam in his, quae sunt supra rationem, ut nostrae Religionis mysteria, quam nostrae rationi congruentibus, ut miracula Cristi.

75 Cum auctoritas, in profanis, adducitur inquiri debet, num auctor coaevus, domesticusne fuerit, si ipse viderit, quae narrat, vel à videntibus acceperit: et si haec non sunt; unde res hauserit, si é publicis monumentis; num vero populares rumores, vel sua praejudicia insectatus sit, aut ab aliis ea regererit. Inquiratur super omnia probitas, scientia, et discretio auctoris.

76 Sicut ex pluribus coaevis, occulatisque argumentum certitudinis habetur; ita ex ipsis silentibus concludunt Critici falsitatem facti, de quo posteriores scripserunt, quod argumentum *negativum* dicitur. Sed observari debet 1.°, quod omnes coaevi scriptores, nemine dempto, factum siluerint. 2.°, quod nulla possit assignari ratio cur siluerint, nisi ignorantiae, quae non debuit incidere, si factum accidisset. 3.° quod siluerint, cum ex libri scopo, et officio debuerunt factum narrare.

77 Ut, autem, ex auctoritate arguamus opus est arte *hermeneutica*, id est, arte interpretandi. Ea docet, ut Auctoris

finem, et affectum investiguemus, tum propositionum attributa, et subjecta examinare: contextus plures simul conferre, et obscura loca per clariora explicare: posteriores setentias prioribus anteferre, cum judicium fuerit, priores mutavisse: loca, denique contradictoria conciliare per conjecturas ex antecedentibus, consecuentibus, et concomitantibus eductas.

CAPUT III.

DE METHODO SYNTHETICA.

78 Haec methodus inventam veritatem aliis explicat: sed ad hoc procedi debet, 1.º omnia obscura vocabula clare, et brevissime explanando, omissis innutilibus explicationibus. 2º Statutis deffinitionibus secuantur axiomata, ac principia, ex quibus veritas demonstranda est. 3º postea hypotheses, et postulata statuantur. 4.º objectum propositum dividatur, singulae partesque explicentur. 5.º De his, quae necessario secuuntur ex principiis scientiam habere dicatur; de reliquis, autem, oppinionem tantum modo.

79 Debet adhuc docens, non auctoritate, sed rationibus suos auditores convincere de suarum doctrinarum certitudine, ideoque, cum de veritàtibus, quae ab auctoritate non pendent, agatur, nec Veteres asperni debent, nec Recentiores, plus aequo, audire; sed rationum momenta expendere. Vitetur, denique, prolixitas, et nimia locuasitas, stiloque perspicuo, et didascalico utatur.

LOGICÆ PARS II.

EXERCITATIONES SCHOLSTICÆ.

80 Si mens, investigando veritatem, non aliquod haberet signum, quo certa redderetur de jam inventa veritate, nullius momenti forent logicalia praecepta. Utiliter, ergo, veritatis existentiam vindicavimus, eiusque criteria stabiliemus.

CAPUT I.

DE VERITATIS EXISTENTIA.

81 Gorgias Leontinus Empedoclis discipulus, qui anno

ante Crıstum 427 florebat, scripsit 1.° Quod nil sit. 2.° Quod, si quid est comprehendi à nobis non potest. 3° Quod, si quid est et comprehendi postest, minime potest explicari. Plurimos habuit sectatores, qui ut verum habebant, nihil percipi, nihilque sciri à nobis posse.

82 Universalem hanc dubitationem animosius in scholas invexit Pyrrho Eleeus Anaxarchi discipulus, cujus gregales alii *Aporectici*, et *Sceptici* dicti sunt, id est, semper dubitantes, et nil certi invenientes: *Achataleptici* alii, nil compreheudi posse. docentes: *Pyrhonici* alii, ab eorum praeceptore, ac demum Achademici, quia scepticissimum Arcesilaus in Academiam transtulit.

83 Plures ex veteribus, et Recentioribus Scepticorum doctrinam amplexati sunt, inter quos Daniel Huetius Episcopus, Abricensis numeratur, licet aliqui, quia docebat, nil certo sciri posse, nisi per revelationem, ad moderatos Scepticos eum referunt, qui imbecillitatem mentis humanae agnoscentes, nil certo pronunciant in suis investigationibus. Quidquid de hac re sit, nos contra scepticos deffendimus, secuentem propositionem.

„*Aliquæ extant veritates* solo *rationis lumine evidentissimæ, a ideoque à Philosophia exterminandus est rigorosus Scepticissimus.*

84 Prob. Quilibet homo certus sibi est de sua existentia: quamvis, autem, in suis judiciis, ac sensationibus semper decipiatur, ut volunt Sceptici, certus, tamen, est, se cogitare, ac ideo, se existere, non, enim, potest cogitare, quin existat, existeret, enim, et non existeret, quod impossibile est.

85 Eadem evidentia habetur in aliis veritatibus solo rationis lumine notis, de quibus nemo dubitare potest, veluti, totum esse sua parte majus: nequire idem simul esse, et non esse: non fieri alteri, quod nobis fieri non volumus, aliaque adeo clara, et evidentia, quod ubi comprehendantur necessario eis assentiri debemus, nisi rationis lumine simus destituti.

86 Cum in rebus dubiis tot sint hominum sententiae, quot capita: pro certissimis, et evidentissimis proculdubio, debent haberi illae, in quibus unanimis omnium consensus habeatur: atqui res ita est in propria existentia, in primis principiis, aliisque theorematibus: ergo alicuae extant veritates solo rationis luminne &a.

87 Obj. 1. Quaecumque sit regula veritatis, ea pendet vel

a sensibus, vel à mentis ratiocinio, vel ab intima conscientia, atqui sensus perpetuo fallaces sunt, mens imbecillis, ac ideo intimus sensus, qui ab hisce pendet fallax: ergo nulla existit veritas.

88 R. n. min. Sensus, et mentis ratiocinium certas in plurimis suppeditant notas veritatis, ut patet ex probationibus. Mens imbecillis, quidem, est in obscuris, dubiisque; non, autem, in evidentibus, et clarissimis perceptionibus, quibus anima clarissimas veritates intimo lumine cognoscit. Optime Lactantius: *Hominis sapientia est, ut, neque, te scire omnia putes, quod Dei est, neque omnia nescire, quod est pecudis.*

89 Obj. 2. Sacra Scriptura Scepticissimum commendat. Ecles. 8. dicitur: *Cuanto plus laboraverit homo, tanto minus inveniet: etiamsi dixerit Sapiens, se nosse, non poterit reperire.* Cap. 3. *Mundum tradidit Deus disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio, usque in finem.* Ergo nil sciri â nobis potest. Haec Huetius.

90 R. retorquendo arg. Si sensus in ominibus fallaces sunt, nec adducta Sacrae Scripturae loca erunt certa, cum *fides ex auditu*: et auditus fallax nil certum dare potest. Sed directe. Laudata testimonia hominum prosternunt arrogantiam, qua omnia, se scire praesumunt, atque occulta Dei consilia, et universi operis rationem penetrare. Nequit mens perspicuam operum Dei habere cognitionem, nisi superius illustrata, et ut cum Grotio loquar: *Non novit homo á capite ad calcem operationem Dei: multa videt, quae nescit, quo proposito, aut fine à Deo facta sint.*

CAPUT II.

DE VERITATIS CRITERIO.

91 Medium, seu regula vera à falsis distinguendi, dicitur *Criterium* Illud Epicurus in sensibus statuit. Anaxagoras, et Pythagorici in sola mente: Plato in ideis ingenitis, á quo non differt Cartetius, cui instar axiomatis est, *quidquid clare, et distincte à nobis percipitur verum est.*

92 Rem clarius enucleavit Leibnitius docens, quod, si veritas, de qua agitur versatur circa sensibilia, certum criterium erit evidentia **sensuum**: Si, circa intelligibilia, evidentia rationis: si, tandem, circa historica evidentia auctoritatis. Sit itaque.

PROPOSITIO I. *Pro veritatibns intelligibilibus dijudicandis optimum criterium est evidentia rationis.*

93 Prob. Illud est optimum Criterium veritatis, quod omnem à mente depellit erroris formidinem, ipsamque redit securam, sed talis est evidenita intelligibilium; ergo. Minor patet, ex quo, ea est evidentiae indoles, ut plenum mentis assensum exigat, cuando mens firmissime conquiessit, ut quotidie experimur: si, enim, omnes homines roges, an certo asseri possit: totum sua parte maius esse, nemo erit, qui indubitanter, affirmative, non respondeat, quia clare quisque concipit plus magnitudinis in idea totius, quam in partis: idem de aliis pluribus dicas: ergo evidentia rationis habet optimi Criterii characteres.

94 Revera axiomata omnia, ex ipsa rationis evidentia, suam habent certitudinem, sic illud metaphysicum: *nequit idem simul esse, et non esse:* illud Juris, *poena capitis plectendus est injustus hominis interfector,* aliaque, ideo certissima, quia evidentissima rationi: unde cartetianum illud: *Quidquid claré, et distincte percipitur, verum est.* Ergo &a.

95 Obj. 1. Clarae ideae ac distinctae saepé numero decipiunt nos, ergo veritatis criterium &a. Prob. ant. Haec sunt omnibus evidentia 1° Quae sunt idem uni tertio, sunt idem inter se. 2° Anima et corpus Personam constituunt. 3. Nequit idem corpus pluribus in locis simul reperiri. 4. Mala debent impediri. 5. Homo, antequam existat non potest poena mulctari. 6. Moelius praeferendum est bono. Sed haec omnia falsa sunt: ergo &a.

Falsitas in 1° convincitur ex mysterio Santissimae Trinitatis. In 2° ex Persona Cristi. In 3° ex Sacramento Eucharistiae. In 4° ex quo Deus mala non impediat. In 5° Ex peccato originali. In 6° ex quo Deus creavit hunc mundum, quo melius, alium creare potuit. Ergo &a. Neque dicas aliud esse de Deo, aliud de homine loqui, nam, quae certa, et evidentia in se sunt nec ã Deo mutari possunt.

96 R. Frustra homines quaerunt evidentiam in illis ad fidem spectantibus, de ipsis, enim, nullam possumus habere claram; distinctamque ideam, alioquin non essent mysteria ã rebus naturalibus prorsus distincta. Fidelis coecus debet esse in revelatis, ut credat potius, quam suae reluctanti rationi; Phi-

losophus, veró, ubi non adstat revelatio, occulatus, et perspicax. Sed singula explicemus.

97 1.º Tres divinae Personae sunt eaedem interse, eodem illo respectu, quo sunt eaedem uni tertio, sunt, enim eaedem in natura, ideoque sunt eaedem inter se, tres namque Personae sunt unus, et idem Deus.

98 2. Corpus animae unitum constituit Personam humanam, quia ex hac unione exurgit homo sui juris, ut suum finem adimpleat. At humana natura, à Deo assumpta, non fuit sui juris, quia illa ad unionem cum Persona Verbi fuit destinata, ideoque per se solam non potuit suum munus, sive finem, adimplere.

99 3. Sicut sufficit in Deo una, eademque actio, ut corpus producat, tribuat ei locum, ipsum conservet, et ad plura loca succesive transferat, quia haec mutatio se tenet, tantum, ex parte termini, ita eadem Dei actio, per se invariata, potest Corpori Cristi tribuere locum in dextera Patris, et simul, alium sub his speciebus, alium sub aliis. Licetque humana mens capere non possit, quomodo pluribus in locis idem corpus simul esse possit, naturalis ratio suadet id impossibile non esse, cum diversitas locorum corpori, omnino, extrinceca, non arguat corporum diversitatem.

100 4. Quomodo Deus mala permittat, et quo sensu mundum possit condere perfectiorem in Metaphysica dicemus.

101 Tandem, licet materia de peccato originali ipsique pœnis debitis ad Theologos spectat, dicimus: Voluntates omnium hominum contentas fuisse moraliter in Adami voluntate, cuius inobedientia miseros nos fecit, sicut ejus obedientia beatos fecisset. Etiam in humanis legibus merita, et delicta Parentum in filios transferuntur. Animadvertere, tamen, debemus, quod Deus creare nos potuit, cualiter nunc, post peccatum Adami, sumus, quia nulliter concedere debuit, cuod gratis concessit, supposita originali justitia.

102 Ad instantiam dicimus. Ex quo ea, quae captum nostrum excedunt non comprehendantur, nullommodo sequitur, Deum mutare, quae certa et evidentia in se sunt.

103 Inst. Etiam evidentes veritates se ipsas destruunt. ¿Quid, enim evidentius, extensum esse, quod habet partes extra partes, adeoque divisibile? et, tamen, extensió indivisibilis admittitur à Philosophis vacuum propugnantes: ergo &a.

104 R. Aliud est loqui de extensione corporea, aliud de spatiali. Docebimus in Physica, quomodo haec careat partibus, et sit vera extensio.

105 Obj 2. Evidentiae certitudo à divina pendet infallibilitate haec, autem, nobis innotescit ex claris, distinctisque ideis: in quibus sistit evidentia: ergo evidentiae certitudo vitioso circulo est innixa.

106 R. Evidentiam in rebus intellectualibus non pendére à Dei infallibilitate, sed àb immutabili veritate idearum, quae neque à Deo destrui potest, nam, licet omnipotens, nequit infecta facere, quae facta sunt, neque necessariam subjecti, attributique connexionem, quae in evidentibus principiis elucet, ullo modo destruere.

Propositio II. *In rebus sensibilibus evidentia sensuum est optimum veritatis Criterium.*

107 Prob. Sensuum nostrorum organa, ut pote corporea solo tactu ab extrinseco moventur: ergo quoties vivide, constanter, ac uniformiter afficiuntur ab objectis externis, haec sensibilis evidentia optimum erit Criterium. Nam, cum Sapientissimus mundi Auctor quasdam constituerit invariabiles naturae leges, quibus perenniter regatur universus, quoties nostri sensus vivide, constanter, ac uniformiter phaenomena sentiunt ac effectus praedictis legibus conformes, minimé decipi in his, certi sumus; ergo sensibilis evidentia in rebus corporeis optimum erit Criterium.

108 Sané si haec evidentia nos deciperet, jam hic error foret Deo attribuendus, qui sensus nobis tribuit perpetuó fallaces, sed evidentia rationis ostendit, Deum summe bonum, et veracem non posse ad perpetuum errorem nos inducere, sicuti nec ad malum: ergo certi sumus de rerum evidentia.

109 Obj. Malebranc. Sensus continuo decipiunt nos: ergo non est evidentia in sensibus. Prob. ant. per-partes. Oculi decipiunt circa rerum magnitudinem. Nam Luna majus stellis videtur. Imo objectum visum sinistro oculo majus apparet, quam dextero. Errant, circa figuram, distantiam, et errant circa colores, quos corporibus superextensos falso vident.

Reliqui sensus dicipiunt nos circa corporum cualitates, Nam saporem , odorem , colorem , sonum, in corporibus existimamus, cum sint in anima. Hincque fit, ut falsó putemus, omnes easdem de iisdem objectis habere sensationes,

quae, quidem diversae sunt, pro diversa fibrarum tensione, mollitie, et textura. Ergo à sensibus haberi non potest veritatis Criterium.

110 R. Proprium sensuum objectum esse corporum existentiam, sensatio, enim, est actio in sensus ad cerebrum perducta, nil, autem, agere potest in organa sensuum, nisi corporeum, ac materiale: *tangere*, enim, *et tangi non potest, nisi corpus*. Quaecumque sit, ergo, sensuum fallacia de corporum existentia ab illis certi sumus. Corpora, autem, quae, ob suam tenuitatem, nullam habent cum organis proportionem, non sunt sensuum objecta, ideo infinita sunt corpora, quae sensus fugiunt.

111 Cualitates corporum sunt objectum rationis nostrae, non sensuum. Sensatio, enim, est modificatio animae orta ex impresione in corpore facta, motus, autem, sensorii est impulsio in organis sensuum. Si primum cum secundo confunditur, erit mentis error; non sensuum. Si acu digitum pungam doloren sentiam ex carnis vellicatione, neque dolorem in acu residere puto. Ita etiam, si sonum audio, si colores, sapores, frigus &a. percipio, ratio non referet istas cualitates ad objecta, nisi cuatenus illa attingunt corpora, quae in fibris excitant illam commotionem, vi cuius anima aliqua sensatione modificatur. Ergo discretio cualitatum sunt mentis objectum.

112 Vitare possumus sensuum illussiones circa figuram, motum; distantiam, magnitudinemque corporum, si ratio, communisque Sapientum consulatur sensus. Optici varios oculorum errores patefaciunt, rationes assignant de visus phaenomenis. Physici omnium sensibilium cualitatum naturam aperiunt. Hos consulere debemus, antequam de sensuum evidentia judicium feramus.

113 Inst. Boelius. Sicut per sensus habemus corpora existere; ita per eos habemus esse sonora, colorata, sapida &a., sed, per te, corpora non sunt talia in se: ergo nec in se erunt extensa, solida, divisibilia &a. sicut sensus nos docent. Hoc ipso argumento probat Malebranchius, citra fidem, dificilem esse probare corporum existentiam.

114 R. Sensus decipere nos circa cualitates corporum ultró concedimus; sed non ideo decipiunt nos eorum motiones circa illarum causas, non, enim, possunt organa move-

ri absque aliqua causa ipsis motionem communicante. Cum video aliquod objectum certus sum illud existere, á quo reflexa lux organa meae visionis movet, licet decipiar circa illius sensibiles cualitates.

115 Inst. Maleb. Plures habentur ideae, ac sensationes absque ulla externa impressionc in organis sensoriis. Somni tempore multae sunt in nobis ideae absque externa exitatione. In vigilia, motus diu sentiuntur in membro amputato, licet patiens scit, se illo membro carere. Ergo.

116 R. D. ant. Ideae, sive sensationes habentur absque externo motu *actuali*, conc; absque motu, qui numquam factus fuit, neg. Motiones sensuum non posunt aliter fieri, nisi per externam impressionem, sive actualem, sive antea facta fuerit, quae, quidem, ad cerebrum perducta, manet ibi, et alicuantisper saepe exitatur absque causa externa. Somniantes, itaque, et vigilantes sensationes habent absque externa impulsione, cuoties motiones anteafactae in cerebro excitantur.

117 Inst. idem Maleb. Impossibile videtur, corpora quae se non possunt movere, dent sensibus motum, quod non habent, ergo non existit illa externa impressio.

118 R. Motum organorum non fieri immediate ab objectis; sed mediate, juxta naturae leges. Video corpus coloratum, quia lux ab ipso in meos oculos reflectit: audio sonum, quia sonorum corpus percussum vibrat, hicque tremor aeri communicatur, et per hunc ad aures usque propagatur: idem dicendum de aliis sensationibus.

119 Obj. 2. Ideo de corporum existentia certi sumus, quia Deus auctor erroris esse non potest, tribuendo nobis sensus, perpetuo fallaces, sed Dei existentia per corporum existentiam demonstratur: ergo stabilita sensuum evidenta vitíoso circulo innititur, et ex hoc capite nequit statui, quia Logicae regulis repugnat.

120 R. Sophysmaticam esse argumentationem per circulum vitiosum, sive petitionem principii diximus; (n. 57) at *regressus demonstrativus*, in quo ex Causa effectus, et ex effectu causa probatur, non est talis; sed optima argumentatio. Cum evidentiam sensuum deducimus ex Dei veritete, tamquam à causa, contra Idealistas agimus, qui Dei existentiam fatentes, falli nos ab eo posse in sensuum renuntiationibus suspicantur: non probamus, ergo, existentiam Dei, sed argui-

mus, eum summé bonum, et veracem non posse nos fallere. At, contra Atheos, ex corporum existentia tamcuam ex effectu primae causae, probatur Dei existentia, illi, enim, mundi existentiam fatentur, sed, non à Supremo auctore, sed à fortuito athomorum concursu, vel ab infinita causarum serie eum prodiisse stultissime deffendunt.

121 Inst. Deus auctor erroris non est quia corpora à plerisque judicantur sonora, colorata &a. ergo nec erit, quia realis credatur corporum existentia.

122 R. N. parit. Ad sensationes sive veras, sive falsas aliqua causa externa organa sensoria movere debet, et, si Deus, loco corporum, nostros sensus afficeret, deciperet nos, quia nulla erant corpora, quorum existentiam credebamus. At, quod cualitates, sive accidentia corporum judicemus in eis existere, error hic, non, provenit à deffectu objecti, sed à mente nostra, quae illas cualitates tribuit corporibus.

123 Obj. tandem. In Sacramento Eucharistiae gustantur species, quae non existunt. Sacris in litteris referuntur corporum apparitiones, et nulla fuerunt corpora. Spiritus Sanctus, sub Columbae specie apparuit, et non est Columba: ergo non est contra Dei veracitatem, quod sensus perpetuo decipiant nos.

124 R. N. cons. Deus ipse nos admonet substantiam specierum. Eucharistiae non ibi esse, sed verum corpus et sanguinem Cristi, ideoque, si mens in istis, sensibus, prorsus, assentiatur, error, non Deo, qui mysterium nobis apperit, sed hominibus, qui nihilominus suis sensibus credere volunt, tribuendus est.

125 Ceterae apparitiones objectae, aut absque veri corporis interventu factae non fuerunt, aut, si cuando per puras imajenes evenerunt, illae realiter in cerebro sunt excitatae ab impressionibus olim in organis sensoriis factis, quaeque ibi manentes illis occasionibus fuerunt excitatae. Quidquid sit de istis, semper verum est, numquam Deum nos decepisse, cum semper ad omnem errorem vitandum mysterium reserasset.

126 Inst. Saltem maligni spiritus sensus decipiunt, haecque deceptio potest esse perpetua; sicuti Magi sensibus spectra objiciunt: ergo nullam possumus habere certitudinem á sensibus.

127 R. N. ant. Larvae, ac spectra á malignis spiritibus

alicuando objecta, neque vivida sunt, nec constantia, nec uniformia sunt; sed dormitantium, potius, imajinibus persimilia, ac, proptera, non possunt sensibilem evidentiam constituere, licet illae imagines efformentur ex varia combinatione impresionum, quae variè a sensibilibus objectis fuerunt receptae.

PROPOSITIO III *Historicæ veritatis criterium est evidentia moralis, sive auctoritatis.*

128 Prob. Humana historia suam obtinebit evidentiam, si probati, et graves historici eamdem rem narrent, nam ubi tales historici, licet genio, ac religione distincti in narratione alicujus facti conveniant, nisi humanam societatem ad pecudum gregem reducere velimus, eamdem merentur fidem, quam sensuum evidentiae praestamus. Qui humanam fidem evellere conantur, inquit, Cl. Melchior Canus, non solum stulti sunt, sed gigantuum more cum Diis, hoc est, cum natura pugnant, nam, ut ajebat Tullius: *consensus hominum vox naturæ est.* Stultissimum, ergo, erit, non credere aliqua absque ulla ratione, nisi, quia ipsi non vidimus: consecuenter que in rebus historicis erit optimum criterium evidentia moralis.

129 *Corollarium.* Ergo res gestae de quibus sensus possunt judicare, si conformentur testimonio multorum diversarum aetatum, diversarum nationum, diversa consilia persequentium: si de illis loquantur tamquam a se visis, neque suspicio sit, eos conspiravisse ad mendatium stabiliendum, non minus constanter credi debent, quam, si visae fuerint a nobis propriis oculis.

130 Obj. 1 Unius, tantum, historici auctoritas, facti certitudinem non parit; ergo, nec millenorum. Nam milleni historici sunt unus promille multiplicatus, et mustiplicatio certitudinem non auget.

131 R. Certitudo intrinseca non augetur, quidem, a multitudine scriptorum; sed, tantum, extrinseca. Nam, si unus solus rem narrat, formido subest, ne, aut deceptus fuerit, aut decipere voluerit, quae, verissime, abest, cum multi scriptores aetate, loco, genio, religioneque discrepantes, in eadem re conveniant. Nemo, enim, sanae mentis dicere potest omnes illos deceptos fuise, aut, sine ullo inter se colloquio, conspiravisse ad fallendum.

132 Obj, 2 Testis occulatus praefertur illi, qui factum audivit, huicque succedit, qui narrationem accepit ab audiente, sicque minuitur certitudo, prout crescit distantia ab occulato teste: ergo post saecula plura minuetur certitudo, ac tandem evanescet.

133 R. Testibus occulatis adhibitur fides propter eorum probitatem, et scientiam: eadem fides, ergo, praestari debet scriptoribus probatis, qui factum, nobis conservarunt sua narratione. Tam certum nobis est, Franciscum Pizarro Regem Incam occidisse, sicut fuit ante tercentos annos. Hoc facinus publica luce patratum a testibus occulatis seeuenti generationi fuit transmissum, a qua ad nos pervenit absque dubio ullo, eademque illius facti est hodie certitudo, cualis tunc fuit, eritque ad usque mundi finem.

134 Obj. 3 Homines *sunt mendaces,* dicitur Ps. 60. V. 10. et fallere ac falli possunt: ergo ex eorum auctoritate nulla certitudo esse potest.

135 R. Ex quo homines singillatim fallere ac falli possint, non sequitur, ut factum a pluribus in eo convenientibus, ut certum, sit falsum: divina, enim, auctoritas eo tendit, ut ostendat hominum sapientiam, quae frecuenter decipitur, infinite distare a Dei sapientia, et infallibilitate.

136 Vera, autem, a falsis secernemus, in narrationibus scriptorum, tres regulas observantes, quas tradit Cl. Melch. Canus. 1a. Cum probati scriptores narrant factum a se visum, vel ab his, qui viderunt acceptum. 2a. Scriptores, qui severitatem cum prudentia adjunxerunt, aliis hoc destitutis merito, anteferendi sunt: haecque lex locum habet, cuando scriptores neque occulati testes sunt, neque ab his, qui viderant acceperunt. 3a. Auctoritas alicujus historici ab Ecclesia commendata, proculdubio fidem meretur, aliisque praefertur. Sed jam de Logica satis.

METAPHYSICA.

Ea Philosophiae pars, quae de spiritibus, ac rebus immaterialibus agit *Metaphysica* dicitur, quod idem est, ac scientia ultra naturam, ideo a Veteribus, *Sapientia* vocatur. Ejus objectum est immateriale, quod vel est tale natura sua, ut *Deus, Angeli,* et *Anima humana,* vel per solam mentis abstractionem, ut notio *Entis, possibilis, futuri, &a.* Duas, ergo, in partes dividitur: una agit de Ente in genere, et *Ontologia* vocatur, alia de Deo, Angelis, et Anima, naturali ratione, disputat, et *Pneumatologia* dicitur, seu *Pneumatica,* quae si de Deo agit *Theologia naturalis* audit: de Anima, autem, *Psicologia.*

PARS I.

Ontologia, sive sermo de Ente.

CAPUT I.

DE ENTE, EJUSQUE PROPRIETATIBUS.

1 Ens vocatur quidquid existit, sive sit substantia, sive modus, vel praesens, vel futurum, vel praeteritum, vel possibile fuerit. *Possibile* erit, cum nulla est repugnantia, ut existat; sicuti *Impossibile,* quod habet repugnantiam ad esse: et vocatur *ens rationis,* quia solo intellectu concipi potest, sicut possibile *ens reale* dicitur. Si, vero, rei existentia non repugnat, sed valde difficilis est, *impossibile morale* nuncupatur.

2 *Futurum* appellatur, quod alicuando habebit esse. Si non pendet ab humana voluntate, dicitur *necessarium,* si autem, est in nostra libera voluntate, *liberum* erit. Distinctio, vero futuri in *absolutum* et *conditionatum,* rejicitur a nobis, quipe, *absolutum* vocant Theologi, quod re ipsa futurum erit; et *conditionatum,* quod eveniet, si alicua ponatur conditio. Hoc, tamen, non est futurum, si, enim, non ponitur conditio, haec, et conditionatum ad mere possibilia reduci debent.

3 Entium proprietates, quae *transcendentales* vocantur sunt, *Unitas, Veritas, Bonitas.* 1a. Explicat id quo ens caret pluralitate in eo genere, in quo ens est unum: 2a est con-

venientia essentiae rei cum aeterna Dei idea (Log. n. 64): 3a. est ipsa rei entitas.

4 Unitati pluralitas, sive, distinctio opponitur, quae est *realis, modalis, rationis*, et *formalis*. 1a. est distinctio inter rem, et rem, ens, et ens. 2a reperitur inter substantiam, et modum. 3a est illa, quam mens concipit inter ea, quae distincta in esentia non sunt, sed in suos actus, seu effectus. 4a tandem, est, quae versatur inter rem, et ejus attributa.

5 *Scholion.* Haec formalis distinctio a Scotistis inventa, eo quod dicant, diversam esse a reali, quae versatur inter separata, vel separabilia, et a rationis, sive a *virtuali*, quae a sola mente concipitur, cum formalis, nec inter rem, et rem intercedat, nec a mente fingatur, sed revera detur inter metaphysicos gradus, veluti *animalitas*, et *rationalitas* in homine: *intellectus*, et *voluntas* in anima: *justitia*, et *misericordia* in Deo &a; nihilominus mordicus a Recentioribus impugnatur, nulla, enim, intercedit differentia inter eam, et virtualem, sive distinctionem rationis.

6 Ens, ratione Unius, potest esse unum *simplex*, cum nullas habet partes realiter distinctas; vel unum *compositum*, cum ipsius partes sunt distinctae. Compositio, autem, alia est *physica*, quae partes distinctas et separabiles importat: alia *metaphysica*, cum partes, etsi sunt distinctae, non sunt separabiles: alia, tandem, *logica*, id est compositio ex genere et differentia (Log. n. 14), ideoque, unum vel est tale *genere*, vel *specie*, vel *numero*, seu *individuatione*. Compositio, autem, in genere, est unio distinctorum.

7 Bonitas entis explicata jam, dicitur *absoluta*, at *relativa* vocabitur, cuando refertur ad id, quo perficitur, et conservatur, vel conservari, et perfici potest: *moralis*, autem, conformitas entis cum regulis morum, cui opponitur *malitia:* disconformitas, nempe, a praeceptis naturae, et a lege Dei.

CAPUT II.

DE ESSENTIA, EXISTENTIA, SUBSISTENTIA, AC DE CAUSIS.

8 Essentia est id, per quod res est id, quod est. Rerum essentiae, quae continentur in mente Dei *Æternæ*, dicuntur, quae, vero, extra Deum existunt *factae*. Essentia, ac Natura

nil differunt, nisi cuatenus essentia sumitur pro essentialibus attributis absolute spectatis; natura, verò, pro iisdem essentialibus relatè ad operationes.

9 *Existentia* est positio entis extra nihilum. Perfectio, autem, illa, qua essentia ita completur, ut nullo alio indigeat, ut existat, et operetur, dicitur *subsistentia*, et, si subjectum per se subsistens est irrationalis, *suppositum*, vel hyposthasis, dicitur; si rationalis *Persona* vocatur, quae a Boetio definitur: *Rationalis naturæ individua substantia.* Nihilominus Persona, hyposthasis, vel suppositum, dicitur.

10 *Causa* est principium activum existentiae alicujus rei. Licet causa omnis est principium, non omne principium est causa. Sic Pater aeternus est principium Verbi; non causa.

11 Quia principium antecedit id cujus est principium, ideo *prioritas* alia est *temporis*, quam habet Pater respectu Filii in creatis: alia *causalitatis*, quae, etsi tempore non antecedat, est prior, tamen, tamquam causa, ut Sol respectu lucis: et alia *originis*, quam habet Pater aeternus respectu Filii, et Pater, et Verbum respectu Spiritus Sancti.

12 Causa aeterna, et independens dicitur *prima;* quae, vero, alterius eget fulcimento, ut sit, *secunda;* et *adecuata* dicetur, si sola producit effectum, si, autem alterius indiget consortio *inadecuata* erit. Quae, sine alterius causae medio, producit effectum *inmediata* dicitur; si, autem, alio medio agit, *mediata.* Si causa propria actione operatur *physica* appellatur; si autem eius consilio, exemplo, aut praecepto paritur effectus, *moralis* dicetur.

13 Omnis causa agit propter finem, modo libera sit; causae, autem, rationis expertes agunt propter finem intentum, a quo diriguntur. Est, itaque, *Finis:* ratio libertatem inflectens ad agendum, vel non.

CAPUT III.

DE PRINCIPIIS ONTOLOGIÆ.

14 Principium illud *contradictionis* vocatum, et ab Aristotele inventum, nempe: *Impossibile est, idem simul esse, et non esse,* sicuti primum omnium cognitionum fundamentum, a Peripateticis, et aliquibus Recentioribus, propugnatur. Alii,

vero, alia proposuerunt principia, veluti, universaliora, ut illud, in omnibus receptum, scholis: *Ex nihilo, nihil fit:* aut illud scotistarum: *Ens est ens:* aut illud Lokii, *Quidquid est, est,* vel alterum: *Quodlibet est, vel non est:* aut, tandem, illud Cartecii: *Ego cogito, ergo sum.*

15 Veritas horum principiorum ab evidentia rationis pendet (Log. n. 94). Sed principio contradictionis maxima, utemur, ultilitate, si ex repugnantia alicujus attributi cum aliis essentialibus proprietatibus, eius impossibilitas ostenditur, vel ex non repugnantia, eius possibilitas; possibile, enim, est, cuius impossibilitas non demonstratur; sed cuando possibilitas demonstratur; non eius existentia concluditur, sicuti ex possibilitate alterius mundi demonstrata, stulte inferretur, eum reipsa existere.

16 Ideo Recentiores aliud statuunt principium cum Leibnitio ad contingentium existentiam probandam, *Ratio sufficiens,* dictum, vi cujus colligitur, cur aliquid sit, vel non, et cur hoc modo, quam alio. Sic, ratio sufficiens, cur duo corpora in aequilibrio quiescant, licet utrumque deorsum nitatur, erit virium aecualitas, ac contrarietas.

17 Cave, tamen, ne rationem sufficientem existentiae alicuius cum eius causa confundas. Ratio sufficiens existentiae Dei in eius essentia perfectissima consistit, at, dari non potest causa ipsius existentiac. Nil, autem, opportunius ad inveniendam veritatem, hoc principio; ab ipso, enim, fallax imaginatio temperatur, ac veritates in natura latentes inveniuntur.

18 Ratio, autem sufficiens sumitur vel ab *externis,* vel ab *internis.* Ratio, enim, sufficiens interna existentiae rei alicuius in eius causa reperitur: ratio vero modorum eius, vel ab antecedentibus modis, vel ab externis entibus respective petietur. Ratio sufficiens essentiae substantiae sumitur *immediate* ab eius essentialibus, et *remote* ab eius causa, in qua continetur, sive *formaliter,* id est, tota secundum se, sive *eminenter,* tamcuam causa.

METAPHYSICÆ PARS II.

THEOLOGIA NATURALIS, SIVE SERMO DE DEO.

19 Haec Metaphysicae pars ad contemplationem Supremi

Numinis, eius existentiam, atributaque stabiliendo, solo rationis lumine, dirigitur, nam, Dei cognitionem ex revelatione, ad Theologiam spectat investigare.

CAPUT I.

De existentia dei.

20 Ens à se á nullo alio orijinem habens, et causa prima rerum omnium, est Deus. Negans, autem, eius existentiam *Atheus* dicitur: qui si persuasus esset non existere Deum *Speculativus*, sive, *theoreticus* erit. Qui vero, ita se vitiis indulget, cuasi non esset Deus impiorum remunerator, atheus *practicus* dicitur.

21 Alii impii, Deum existere fatentur, at nullam admittunt revelationem, sed solam naturalem religionem sufficere ad salutem æternam contendunt, qui *Deistæ*, et *Naturalistæ* appellantur, quibus numerandi sunt *Indifferentistæ*, in cualibet relijione hominem salvari posse, asserentes: et Machiaveli, et Hobbesii sectatores, qui religionem, solúm, admittunt donec Reipublicae bono interessit. Sunt et alii, qui Deum ab universo non distinguunt, et *Pantheistæ* vocantur.

22. Asserunt Empiricus, Tullins, et Plutarcus Atheos ab antiquitate extitisse, non veró, illos speculativos fuisse sentimus, sed practicos, qui et stiterunt, et nostris temporibus existunt, nam Deistae, Machiavelistae, Indifferentistae, et Pantheistae facile atheissimi convinci possunt. Eminet hos inter impios Benedictus Spinoza natione Judaeus, Cristianus nomine, sed religione Atheus natus Amstelodami an. 1632, ac mortuus 1677. Hic sicuti Epicurus mundi substantiam Deum dixit, et cogitationem, ac extensionem ei, tamquam proprietates, designavit, omniaque fieri in hoc mundo ex invariabili ordine, et partium cognitione; non consilio Supremi Numinis alicuius, ideoque libertatem substulit, uti *Fatalistæ*, qui omnia necessario in mundo, contendunt, evenire.

23 Dei existentia à posteriori tantum demonstrari potest, nullam, enim, habet causam. Utemur itaque argumentis *metaphysicis* ex mentis nostrae consideratione: *physicis*, ex rebus creatis, et *moralibus*, ex moribus hominum, depromptis.

PROPOSITIO. *EXISTIT DEUS.*

24 Demonst. Metaphysicè. Ens contingens illud est, quod ita existit, ut possit non existere, ergo, cum omnia nobis nota sint mutabilia et fluxa, omnia sunt contingentia, ergo existere debet ens necessarium, á quo habeant esse. In hypothesi, quod nullum existeret ens contingens, impossibilis foret existentia caeterorum, nisi admittatur existentia entis necessarii, quia illa non poterunt habere esse ab ente contingenti, ex hypothesi, enim, nullum existit: ergo existendo entia contingentia, ante suum esse veré possibilia, debet existere Ens necessarium à quo habuerunt esse; implicat, enim existere ens contingens, et existere ā se.

25 Sane ens contingens vel est creatum, vel increatum, Si illud, ergo causam habet á qua est, et continuo reproducatur, cum possit singulis momentis deficere. Si hoc, ergo non erit contingens, sed necessarium, impossibile, enim, est simul esse contingens, et non esse: ergo, quia existit ens contingens, existit necessarium, id est Deus.

26 2.º demonst. physice. Datur motus in mundo, sed *quidquid movetur ab alio movetur:* ergo existere debet prima causa movens. Deinde, in causarum concatenatione una ab alia dependet, donec ad primam causam deveniamus, quae à nullo alio dependeat, quae sit aliarum causarum origo, et improducta: ergo Deus existit.

27 Porró Universi magnitudinem, varietatem, pulchritudinem contemplando ¿quis poterit non confiteri Supremum Numen, cuius sapientia omnia sunt condita, et cuius providentia gubernantur? ¿Quid enim absurdius quam mirabilem mundi machinam, humani corporis structuram, eiusque animam ratione praeditam, absque Suprema intelligentia fuisse producta, sustinere? *Mirandum est,* inquit Tullius, *esse quemquam, qui sibi persuadeat, corpora solida vi, et gravitate ferri, mundum efficere ornatissimum, et plucherrimum ex eorum corporum concursione fortuita!*

28 3.º demonst. moraliter. Innatum hominum perpetuae felicitatis desiderium vanum foret, nisi Deus esset, qui posset illud satisfacere. Deinde non est homo aliquis, qui Deum non confiteatur, ideoque ait Lactantius; *Cum jurant, cum op-*

tant, cum gratias agunt, Deum nominant, adeo ipsa veritas, cogente natura, ab invitis pectoribus erumpit; et S. Hyeronim.: *Persa, Gotus, Egiptius, Turca ipsum agnoscunt, et totius mundi una vox est, Deus est.* Ex Gentilibus Tullius: *Nulla gens, ait, est neque tam immasueta, neque tam barbara, quae, etiam si ignoret cualem Deum habere debeat; non tamen, habendum sciat.* Cum eo conveniunt Plato (*lib. 1.° de leg.*) Atistoteles (*lib. 1 de cælo*) Seneca, aliique.

29 Conscientae stimuli quibus impii anguntur, dum male agunt claré innuunt existere Deum criminum vindicem. Negantes, autem, Deum in scelestissimam vitam se abjiciunt, volentes eripere conscientiae cruciatum, quem cogitatio Dei ũltoris infflgit. Ideo S. Aug. (*lib. de ver. relig.*) *nego,* inquit, *esse quemquam istorum, qui nil colendum existimant, qui non, aut carnalibus gaudiis subditus sit, aut alicuo spectaculo delectatus insaniat.* At isti in apertissimum discrimen se constituunt. Nam, si nullus existeret Deus, qui eum colunt nullo plectentur supplicio, neque in hac, neque in altera vita; Athaei, vero, in altera, impietatis suae poenas, certissimè, luent: ergo iniquissimum est Dei existentiam negare. Ergo existit Deus.

30 Obj. 1. Absurdum est Dei existentiam velle naturali ratione demonstrare, cum Ap. *ad Heb.* 11, dicat: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Quod creditur non potest demonstrari: ergo.

31 R. Dei existentia non creditur ut auctor naturae, sed ut auctor gratiae, hoc enim modo praeparat hominem ad justificationem, et per fidem, tantum, cognoscitur; alio, autem, ut creator mundi, et conservator lumine naturae cognoscitur.

32 Inst. Idealista dubitat de mundi existentia: sed demonstratio omnem excludit dubitationem: ergo Dei existentia demonstrari non potest.

33 R. Idealista non negabit existentiam humanae mentis, certus, enim est, se cogitare, ideoque de sua existentia, ac proinde certus debet esse de existentia entis necessarii. Haec vero absurda jam confutavimus Log. n. 107.

34 Inst. Ex quo singillatim entia sint contingentia non sequitur eorum collectionem esse contingentem, nam à partibus ad totum, sive à *sensu distribuitivo ad collectivum, nulla est illatio.* Ideo, qui Deum admittunt, negant colectionem

possibilium esse finitam, ex quo singula possibilia sint finita: ergo ă pari.

35 R. Consecuentiam à distributivo ad colectivum non valere in accidentalibus, valere, tamen in essentialibus. Contingentia unius entis est essentialis, ideo collectio omnium entium existentium debet esse contingens. Ex quo, autem, singula possibilia sint finita, non sequitur eorum collectionem esse finitam, nam ex finito, fit transitus ad infinitum. Collectio enim, possibilium est ipsa Dei omnipotentia, ideoque finitudo possibilis non est ex parte possibilitatis; sed ex ipsius entitatis. Collectio, autem, possibilium, non est unum totum ex partibus sicut caeterae quaecumque collectiones; sed unum simplex, ipsa, nempe Omnipotentia.

36 Inst. Spinosistae. Existentia entis Necessarii non infert existentiam contingentis; ergo neque é converso, nam ens contingens nullam habet cum Necessario connexionem, alias non contingenter, sed necessario existeret: ergo.

37 R. Existentiam entis Necessarii non inferre contingentis existentiam, quia ens Necèssarium nullo alio indiget ut existat, habet, enim, esse ā se; at contingens, quod ab alio dependet, alio indiget, ut existat, ideoque eius existentia infert existentiam Necessarii, cum quo habet connexionem, non naturae, sed dependentiae ad esse, et conservari.

38 Inst. Ens necessarium est ipsa rerum universitas, in quae nil est contingens, vel sunt athomi ex quarum fortuito concursu mundus coaluit: ergo non est Deus.

39 R. Mirum est, homines rationis compotes suam existentiam potius enti vilissimo, materiae, nempe, tribuere velle, quam Supremo Numini. Si, enim, materia dedit eis existentiam habebit in se omnem perfectionem, quam in creaturis contemplamur, *nemo*, enim, *dat quod non habet.* Et, si athomi, ex earum fortuito, concursu mundum efformaverunt ¿cur illa potentia requiescit? ¿cur non exurgunt, cuotidie, novae creaturae, aut saltem urbs, templam, domus &a? Eo ipso, earum contingentia convincitur: ergo non possunt necessario existere.

40 Obj. 2. Plures existunt Athei, teste Theodoreto, cumquo D. Aug. et Lactant. conveniunt. Tullius *(lib. 1. de nat. Deor.)* Protagoram, Diagoram, Medium, Cyreinaicum Theodorum, Epicurum, et alios vocat Atheos. Historia narrat,

plures, saeculo XVII, mortem, potius, subiisse, quam Deum confiteri. Populique Paraguariae nullam Dei habuere notitiam: ergo ex universali consensu non probatur existentia Dei.

41 R. Plures existunt quidem Athei practici; non vero, speculativi, qui intimé convicti sint, Deum non existere; at, utinam, non essent tanti qui confitentur, se nosce Deum factis, autem, negant: hi aussi sunt, quidem, ut loquitur Aug. cogitare ex pravo affectu non esse Deum, quia vellent non esse: sed non ausi sunt afflrmare, id, ex intima conscientia, sentire.

42 Qui mortem pro tuendo Atheissimo subierunt, id non ex intima convictione pasi sunt, sed ex duritia cordis, et occulto Dei judicio, ut scelestis minatur, Deus per Isaiam. 6. Populi, autem, qui sine Deo fuisse narrantur, non cultu publico alicuam deitatem venerabantur; sed intimo, Supremum, Conditorem profitebantur, ideoque in adversis ad lucos, et antra confugiebant, ut ea loca clamoribus implerent; in prosperis, autem, ad eminentia pergebant, ut suo modo, gratias agerent Supremo Rectori, uti referunt Fabritii, Wolphius, Budeus, aliique.

43 Opp. 3. Si Deus existit est substantia spiritualis perfectissima, ideoque absorbet omnem perfectionem, sed dantur entia perfecta, ergo non existit illa substantia.

44 R. Deum esse substantiam perfectissimam, sed omnipotentem, ideo que, licet sit cumulus omnium perfectionum potest, absque suae eminentiae detrimento, alicuam perfectionem, suis creaturis communicare: Imo ex harum perfectionibus, ad divinam perfectionem contemplandam, mens elevatur.

45 Opp. Epicurei. Existens Deus erit aeternus, ideoque mundum ab aeterno creavisset; non est ita, ergo &a.

46 R. Epicurei assignare debent causam, cur materia, quae per ipsos aeterna est, non ab aeterno in hunc mundum coaluit? Sed directe, dicimus. Æternitatem esse totam simul, nec in ea supponi posse momenta, ideo S. Aug. (*Confes.* 13) aiebat: *Si, ante caelum, et terram non erat tempus, cur quaeritur ¿quid tunc faciebas? Non, enim, erat tunc, ubi non erat tempus, nec tu tempore praecedis, alioquin non omnia tempora praecederes.* Creavit, ergo, Deus mundum, cuando, fuit, ejus suprema voluntas.

CAPUT II.

DE ATRIBUTIS DEI.

45 Cualis sit essentia divina non ad Metaphysicos, sed ad Theologos spectat. Nobis satis est, confiteri Deum esse infinitum cumulum omnium perfectionum, cuarum fons, et origo est, ita ut ipso nihil melius excogitari possit. Sunt, autem, attributa objectum nostrae contemplationis, eaque sunt perfectiones à natura divina inseparabiles, quarum praecipuae sunt *Unitas, Simplicitas, Immutabilitas. Immensitas, Omnipotentia,* et *Providentia.*

ARTICULUS I.

DE UNITATE DEI.

45 Qui plures Deos colunt Polythei vocantur tales sunt Gentiles. Item Gnostici, Apellitae, Mercionitae, Valentiniani, et Manichaei, qui Deum bonum causam bonorum, ac Deum malum malorum causam admittunt. Etiam Tritheitae, qui tres Deos esse docent. Contra hos omnes sit.

PROPOSITIO. *Unus tantum existit Deus.*

49 Prob. Si plures essent Dii, nullus foret Deus, nam infinita perfectio est Deo essentialis, et illi, vel erant perfectionibus aecuales, vel non. Si, illud, nullus forèt Deus, cum careret infinita perfectione, eo ipso, quod similem haberet. Si hoc, nullus quoque esset Deus, cum unus careret alterius perfectionibus: ergo unus est Deus.

50 Obj. 1. In sacra scriptura legitur. *Deus stetit in synagoga Deorum* (Ps. 83). *Ego dixi: Dii estis vos* (Joan 10), quo testimonio Christns suam probavit divinitatem. *Sunt Dii multi, et Domini multi.* (Ap. Corint. 1. c. 8.); Ergo.

51 R. Dei nomen late accipitur in divinis Scripturis, tribuiturque Judicibus ob potestatem vitae, et necis: Prophetis, ob revelationem futurorum; et Justis ob gratiam Spiritus Sancti acceptam. Cum, veró, de deitate proprie loquitur: *nul est Deus, nisi unus* (Cor. 1. c. 8) Christus Dominus non

suam probavit divinitatem allato testimonio, sed retundebat Judaeorum calumniam, qui eum, quia se Deum appellabat, blasphemum, dicebant.

52 Obj. 2. Oracula Idolorum, à Celso, memorata, et prodigia ab Apollonio Thianaeo, Esculapio, aliisque Idololatris facta, non potuerunt accidere in erroris confirmationem: ergo erant a Diis veris.

53 R. Illa oracula fuisse meras imposturas, observant Eruditi omnes, nam ut ait Tullius (*lib. de divinat.*) *ea fuerunt ambigua, itaut interpres egeret interprete.* Potuerunt nilominus in futuris naturalibus, â daemonibus proferri, ut advertit Eusebius, quibus non latet scientia naturalium. Idem dicas de miraculis cum Aug. (de civ. D.) Vel etiam fuere opera naturalia, et praestigia, quae imperitis prodigia visa sunt.

54 Opp. 3. Tres divinae Personae confitentur a Catholicis: ergo plures admittunt *Deos*

55 R. Quia natura seu essentia divina est una eademque in tribus Personis, ideoque quaelibet Persona est Deus, idcirco non possunt esse tres Dii, dictinctio enim Personarum non provenit a distincta natura, sed à distinctis relationibus. Sed ad Theolugos.

56 Opp. 4. Existunt in mundo mala, sed illa fieri non possunt à Summo bono ergo duo Dii sunt.

57 R. Tria sunt malorum genera: *methaphysicum*, id est, deficientia ab infinita perfectione: *physicum*, ex corporis infirmatibus, et animi affectionibus proveniens: et *morale*, id est peccatum. Eo ipso, quod creatura est dependens, et limitata non potest non habere malum methaphysicum, nisi sua essentia destruatur. Mala *physica* non sunt vere mala, inserviunt, enim, ad pecata punienda, et ut nos ab amore terreno separent, cor nostrum taedeat hujus vitae, et sola caelestia desideret, ideoque sunt à Deo, cuius bonitas et sapientia utitur illis, tamcuam Medicus prudens medicamina praescribit. Vel etiam proveniunt à nobisipsis ex intemperantia. Mala, denique, *moralia* sunt á nostra prava Voluntate.

58 Inst. Epicurus. *Deus, aut vult tollere mala, et non potest: aut potest, et non vult: aut neque vult, neque potest: aut vult, et potest. Si vult et non potest, imbecillis est: Si potest, et non vult, invidus est: Si neque vult, neque potest, et invidus, et imbe-*

cillis est: Si vult, et potest, quod solum Deo convenit; cur mala non tolit?

59 R. Deum non posse tollere mala *metaphysica,* quin destruat essentiam, creaturae, ideoque non vult, non ex imbecillitate, sed ex interna rei contradictione. Potest tollere mala *moralia,* destruendo humanam libertatem; at non vult, non ex individentia, sed, ne extinguat humanam intelligentiam, quae est libertatis radix. In hoc potius elucet divina sapientia, et bonitas, quia liberam, et rationalem creaturam condidit innenarrabilis gloriae capacem á malo se abstínendo. Mala, tandem, *physica* possunt tolli á Deo, sed non vult, quia, ut diximus, sunt in se ipsis bona, tamcuam verbera, quae ad nostram fielicitatem conspirant, et, ut ait Salomon: *meliora sunt verbera diligentis, quam oscula odiohabentis.*

60 Obj. 5. ex Baelio. Deus praevidit hominem abusum iri suo libero arbitrio, debuitque, ut pote summé bonus, illud ab bonum determinarè absque laessione libertatis, sicuti dicitur determinat justos gratia, sua; non id facit: ergo non potest, quia malum morale à malo Deo provenit.

61. R. Non negamus Deum potuisse, gratia sua, liberum arbitrium ad bonum determinare, sed asserimus non debuisse. Sicut, enim, summe bonus, est etiam sapientissimus hujus mundi moderator, ideoque malum permittit, quia non debet illud omnino excludere, tum, ne humanam pervertat libertatem, tum, ne bonum Universi imminueret, nam, ut ait S. Thom. (3. *cont. Gent.* 61) *Multa bona sunt in rebus, quæ, nisi mala essent, locum non haberent, sicut, non esset patientia Justorum, si non esset malignitas persecuentium:* ideo S. Ang. (*Enchir.* 96) inquit: *Mala fieri bonum est, nec sinerentur mala ab Omnipotenti bono fieri, nisi hoc bonum esset, ut ea essent.*

62 Inst. Summum malum est contra summum bonum, sed unum contrarium infert aliud: ergo, si existit summum bonum existit, etiam, summum malum.

63 R. D. min Unum contrarium infert aliud, si ambo sint possitivae substantiae, conc. Si unum sit privatio, seu carentia alterius. neg. Quod bonum est bonitatem importat, ideo causam exigit, quia bonitas est aliquid possitivum; at malum morale, non est aliquid possitivi, quia est privatio bonitatis: unde non causam efficientem, sed defficientem exijit. Mala physica, licet talia appareant sunt vera bona, cum

ad bonum perducant, ideo causam efficientem exigunt.

ARTICULUS II.

De simplicitate Dei.

64 Simplicitâs est negatio, sive carentia compositionis. Dei, autem, simplicitatem negarunt Gentiles, qui Deum humanis membis instructum judicarunt: Spinoza qui Deum ab Universo non distinguit (n. 22): et Monachi quidam Egiptii *Antropomorphitœ* dicti, quia Deum *antropomorphon*, id est corpore, et anima consantem, dixerunt: tandem Gilbertus Porretanus, qui realem distinctionem inter divina attributa, et essentiam Dei constituit.

Propositio. DEUS *est simplicissimus.*

65 Prob. Deus, neque physice, neque metaphysice, neque logice (n. 6) est compositus, nam 1°, si Deus corpus haberet non esset perfectissimus quocumque, enim, corpore dato, aliud eo melius excogitari posset, Neque anima potest dici melius Deo, qui omnibus creaturis est infinite perfectior, et, si corpus esset excederetur ab anima, sed hoc dicere nefas est: ergo Deus est physice simplex.

66 2° Est etiam metaphysice: In Deo essentia non distiuguitur ab existentia, est, enim, ens â se, ideoque essentia includit existentiam, neque divina atributa ab invicem distinguntur, sunt, enim eadem essentia, ideo aiebat D. Aug. *In Deo non est aliud sapere, aliud esse,* ergo Deus est simplex metaphysice.

67 3° Est etam logicé, ¿quae, enim, sunt entia cum quibus Deus in esse conveniat, et à quibus propter essentiale attributum, solunmodo, differatur? Ergo, cum ista nequeant asignari nulla potest esse in Deo compositio logica: aliunde, nec physica, nec metaphysica: ergo Deus est simplicissimus.

68 Opp. 1. Deus habet oculos, cor, &a. juxta sacras litteras: ergo.

69 R. Deus habet &a. methaphorice, conc; proprié, neg. Cum de Deo loquuntur Sacrae Scripturae captui nostro se

accomodant, sed per oculos intelligentia, per manus Omnipotentia, per digitos virtus, per facien notitia, designantur: nam Joannes 4 ait Christus: *Spiritus est Deus*. Spiritns, autem, membra corporalia non habent.

70 Inst. Homo ad Dei imaginem factns est (Gen. 1.), sed homo corpore, et anima constat: ergo etiam Deus.

71 R. Homo ad &. quoad animam, conc; cuoad corpus, neg. supositum, nam, *Invissibilis Dei imago, non in eo est, quod videtur; sed in eo, quod non videtur*: ait S. Amb. in Ps. 118.

72 Obj. 2. Deo multa de novo adveniunt, noviter, enim, fuit Creatór, Salvator, quod ab aeterno non fuit: ergo est compositus.

73 R. D. ant. Deo &a. denominativé, extrinsecé, seu objectivé, conc; intrincese, et subiectivé, neg. Deus fuit ab aeterno Judex, Dominus, Creator &a; sed istae denominationes advenerunt cum fuerunt Creaturae, á quibus illas acciperet; non quia abaeterno non habuit Deus potentiam eamdem, et virtutem, veluti atributa ipsi essentialia.

74 Inst. Decreta divina, ut pote libera, de novo adveniunt: ergo.

75 R. D. ant. de novo adveniunt objectivé, conc; subjective, neg. Decreta divina subjective considerata sunt ipsamet Dei natura, ideo non possunt de novo advenire; at, ad Creaturas referta, nova dicuntur, quin ea aeterno Dei consilio, ideo, non fuissent: *Opera mutas, sed non consilinm*, inq. S. Aug. (1 *Confes*, 4).

76. Obj. 3. In Deo est unitas essentiae, et trinitas Personarum: ergo est compositio.

77 R. Compositio est distinctorum unio (n. 6). Divinae Personae ex parte, qua uniuntr non distinguuntur, et, ex qua distinguntur non uniuntur ¿ubi, ergo, erit compositio?

78 Inst. Quod constat ex communi alicuo, et alicuo proprio est compositum, atqui in Deo natura communis est, et personalitas propria: ergo.

78 R. D. Mai. Si commune distinguitur á propio, conc; secus, neg. Cum Persona divina, sit ipsamet natura, nil differtur à ipsa, quidquid, enim perfectionis est in Personis ã natnra fluit, quae ipsas relationes, et Personas eminenter in se continet.

ARTICULUS III.

DE IMMUTABILITATE DEI.

80 Immutabilitas est perpetua in eodem statu permanentia. Deo illam negarunt Stoici et sociniani, qui Deum in suis decretis mutari dixerunt, contra quos sit.

PROPOSITIO. *Deus est omnino immutabilis.*

81 Prob. Mutatio imperfectionem arguit, quod, enim, mutatur vel est in melius, et patet imperfectio, vel in deterius, fitque imperfectior: vel aliquid de novo acquiritur, et acquirens eam non habuit perfectionem; ergo, si Deus mutatur non erit infinite perfectus. Accedit, quod, cum Deus praesentia, pretaerita, et futura unico videat intuitu, non potest nova detegere: ergo est, prorsus, immutabilis.

82 Op. 1. Deus multa facit in tempore, quae non fecit ab aeterno: ergo.

83 R. Omnia facta in tempore ab eius aeterno decreto pendent, et licet in tempore agantur, ita immutabiliter ab aeterno fuerunt decreta.

84 Inst. Si omnia penderent a decreto immutabili aeterno, non Deus poenituisset ea fecisse, sed poenituit (Gen.) ergo &a.

85 R. D. min. Poenituit metaphorice, conc; proprie, neg. Divina Scriptura nostro captui se attemperans, poenitentiae vocabulo utitur, ut *exprimatur*, inq. D. Amb. (*lib.* de Noe, et Arca) *peccatorum nostrorum acerbitas, quæ divinam meruit offensam, tamquam eo usque pervenerit, ut, etiam, Deus, qui naturaliter non movetur, aut ira, aut odio, aut passione alicua, provocatus videatur ad iracundiam.* Deus, ergo, immutabiliter ab aeterno manet in amore Justitiae, et odio peccati, et si homo a justitia ad malum declinat, tota mutatio est ex parte ipsius.

86 Opp. 2. Deus est liber, et non agit necessario, ideoque habet potentiam ad opposita, sed talis potentia infert mutabilitatem, ergo.

87 R. Ab aeterno in Deo semper est idem intelligendi modus, ideo, eadem voluntas. Divina, igitur libertas non est

comparanda cum humana, quae ab imperfecta cognitione pendens, voluntatem determinat juxta cognitionum mutationem.

ARTICULUS IV.

DE DIVINA IMMENSITATE.

88 Quia Deus est ubique per suam scientiam, potentiam, et substamtiam, dicitur Immensus, quod attributum Gentiles, Samaritani, Antropomorphitae, et Sociniani, etiam, qui Deum ubique fatentur per suam potentiam solum, Deo negarunt.

PROPOSITIO. *Deus est immensus.*

89 Prob. Quo maior est entis cuiuscumque illimitatio, maior est ejus perfectio, sed Deus est infinite perfectus, ergo nullis limitibus concludi potest. Sané, ens infinitum nullam habere potest modificationem, quae ejus essentiae repugnet, atque ipsi repugnat locorum circunscriptio, ipsa, enim, redit illud finitum: ergo Deus infinitus non potest loco circunscribi: ergo est immensus.

90 Op. 1. Si Deus est immensus coextenditur spatio: ergo est extensus, ideoque corporeus.

91 R. Deus est ubique spirituali modo, absque spatii occupatione, licet mens humana, ut pote finita et limitata comprehendere non possit quomodo hoc sit, sed: *carnali resistendum est cogitationi, et mens a sensibus avocanda, ne cuasi spatiosa magnitudine opinemur, Deum per cuncta diffundi, sicut fumus. aut aer, aut lux ista diffunditur:* inquit S. Aug. (Ep. 57).

92 Op. 2. Deus descendit de coelo; recedit ab impiis &a ac ideo, movetur de loco in locum. Absurdum est, etiam, dicere, eum esse in sordidissimis locis.

93 R. Sacra Scriptura, dum loquitur de specialibus Dei operibus, intelligí debet sensu figurato, itaut dicatur descendere de coelo, cum aliquid agit extraordinarium: sedere in coelo, quia ibi suam ostendit maiestatem: recedere ab impiis, cum gratiae suae dona aufert. Si, Sol lucis suae radios perfundit in luculenta loca, quin maculam contrahat, ¿cur Deus sordidissimis in locis inquinabitur?

ARTICULUS V.

DE OMNIPOTENTIA DEI.

94 Quia Deus omnia, quae vult, facere potest, dicitur omnipotens. Itaque omnipotentia alia est *absoluta*, quae totam Dei potentiam spectat in se ipsa, extenditurque ad omnia, quae non sunt impossibilia; alia *ordinaria*, quae limitatur a decretis divinae voluntatis.

95 Abaelardus Dei omnipotentiam tantum extendit ad ea, quae facta sunt. Leibnitius, et Wolphius, Deum mundum meliorem facere non posse dixerunt. Contra hos dicimus.

PROPOSITIO. *Deus est Omnipotens.*

96 Prob. Deus mundum ex nihilo eduxit, sed hoc facere non potuit absque summa potentia. Ens, enim, contingens, cuale mundus est, non habet in se rationem sufficientem existendi, quae, solum, reperitur in Deo, cuius omnipotentia est ratio sufficiens omnium possibilium, quae absque Dei omnipotentis voluntate non possunt transire de non esse ad esse: ergo.

97 Op. 1. Intellectus, et voluntas sunt idem in Deo, ergo fecit omnia quae intellexit, ergo praeter facta, nil aliud facere potest.

98 R. D. ant. Intellectus &a absque libertatis praejudicio, conc; secus, neg. Licet Deus ab aeterno intellexerit omnia, noluit omnia é nihilo educere, sed ex infinita possibilium serie elegit ea, quae ipsi placuerunt, alioquin, necessario operatus esset, et non fuisset liber, id circo nec Deus. Potentia, ergo, ordinaria, nequit facere alia praeter facta; potest, vero, potentia absoluta.

99 Op. 2 Deus nequit peccare, neque infecta facere, quae facta sunt.

100 R. Deus non potest facere, quod eiusdem perfectiones destruat, sicuti peccare, mori &a quae sunt malitiae, et infirmitatis effectus: neque ad eius omnipotentiam contradictoria, et impossibilia, spectant. quae non possunt habere causam, nisi chimoericam, et fictitiam.

101 Op. 3. Leibn. et Wolph. Deus, sicut optimus, sem-

per optima facere debet: ergo mundus hic est optimus, et melior eo facere nequit.

102 R. Mundum hunc esse optimum perfectione *finis* a Deo intenti in ejus creatione, neque eo melior condi potest, ideo S. Thom; (1. p. q. 25 *art.* 6 *ad* 3) ait: *universum istud, suppositis rebus istis non potest esse melius, propter decentissimum ordinem his rebus attributum à Deo.* At, perfectione *naturae,* quae à realium proprietatum intensitate emanat, Deus meliorem mundum condere potest.

ARTICULUS VI.

DE OMNISCIENTIA DEI.

103 Perfecta cognitio omnium praeteritorum, praesentium, futurorum, et possibilium dicitur *omniscientia.* A Theologis scientia possibilium vocatur *Simplicis intelligentiae.* Praesentium, vel alicuando futurorum, *scientia visionis* dicitur. Quae, vero, res mere futuras respicit, *praescientia* apellatur. Cognitio futurorum, quae ab alicua pendent conditione *scientia media* dicitur, tamcuam medium inter vere futurum, et possibile.

104 Veteres philosophi cognitionem futurorum Deo negarunt, ne humana laederetur libertas, sicuti arbitrabantur laedi ex illa praecognitione: talis fuit Cicero, qui, ut *homines faceret liberos, fecit sacrilegos,* ut ait D. Aug.

PROPOSITIO. D*eus est Omnisciens.*

105 Prob. Non potuit Deus ex possibilibus alia eligere, ut essent; alia respuere, neque totum mundum regere, et conservare potest, quin possibilia, existentia, et futura perfectè cognosceret: ergo est omnisciens.

106 Op. 1. Futura libera non habent certam, ac determinatam veritatem, sunt, enim, indifferentia: ergo nequeunt praevideri certó.

107 R. Dist. ant. Futura &a ad esse, vel non esse hoc, vel illo tempore, conc, quolibet tempore, neg. Indifferentia futurorum liberorum non est ad existentiam, eoipso, quod sunt futura, alias forent mere possibilia, si alicuo tempore non haberent esse.

108 Inst. Futura libera non habent causam determinantem, pendent, enim, ab hominis voluntate, quae non existit ab aeterno, ergo non habent determinatam veritatem ad esse quolibet tempore.

109 R. Deum praevidisse futura libera dependenter a suis causis, quae licet ab aeterno non existerent, ponendae erant in tempore, easque praevidit Deus cum suis etiam determinationibus.

110 Op. 2. Praescientia Dei est infallibilis, ergo futura praevisa a Deo nequeunt non evenire, adeoque non erunt libera.

111 R. Futura praevidentur á Deo, quia sunt futura, sed non sunt futura, quia praevidentur. Sicuti, si coram me ambulas, non poteris non videri a me ambulans, sed non ideo ambulas, quia ego te video; sed ex tua libera voluntate. Cum aeternitas sit tota simul, omnia sunt Deo praesentia, nilque futurum est ante illum; sed futura sunt respectu nostri, et praevisio eorum est juxta nostram intelligentiam.

ARTICULUS VII.

DE PROVIDENTIA DEI.

112 Providentia est divina prescientia, dispositio, gubernatio, et conservatio omnium ad finem a Deo intentum. Democritus, Heraclitus, et Epicurus, aliique veteres, mundum nulla providentia gubernari docuerunt, sicuti Deistae impie censent, Deo hujus mundi nullam esse curam.

PROPOSITIO. *Deus est providentissimus.*

113 Prob. Cum Deus sit ita pesfectissimus, ut eo melius nil excogitari possit, ipsius sapientia exigit, ut omnia ab eo creata alicuo fine produxerit: debet, ergo, ea regere, disponere, et conservare ad finem intentum, sed id est providentia, nam ut ait S. Amb. (*lib.* 1. *de ofici.*) *¿Quis operator negligat operis sui curam? ¿Quis desserat et destituat, quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere ¿nonne maior est injuria fecisse? Cum aliquid non fecisse, nulla injustitia sit; non curare, quod feceris summa inclementia!* Ergo.

114 Op. 1. Impii in hoc mundo sunt felices; probi autem infelices: ergo.

115 R. Concessa felicitate impiorum in hoc mundo, et proborum infelicitate; non, ideo, argui potest contra Dei providentiam, nam 1º patet aliam esse vitam in qua justi, et impii retribuantur. 2º Justorum deffectus ita in hac vita purgantur, dum improbis poena suorum criminum in alteram servatur. 3º Anima nostra taedet hujus miserrimae vitae, et aeternam aspirat. 4º Sic elucent justorum virtutes. Sed illa impiorum praetensa felicitas ¿cualis erit, cum ejus, momentanea duratio diris, et assiduis conscientiae stimulis, corda dilacerat?.

116 Op. 2. *Absurdum est,* inquit. S. Hier. (*in* 1. *Habac*), *ad hoc Dei deducere maiestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur, quae cimicum, pullicum, et muscàrum sit in terra multitudo &a.* Et Apost. *Numquid de Bobus cura est Deo?*

117 R. Si non dedecet Deo illa vilissima creasse, nec dedecet ea conservare. S. Hier. in allato testimonio negat aecualem esse providentiam tam rationalibus, cuam irrationalibus, sequitur, enim: *Non simus tam fatui, ut dum potentiam Dei ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationalium, quam irrationalium providentiam esse dicentes.* Eadem est mens Apostoli.

118 Op. 3. Finis a Deo intentus non potest deficere, ergo omnia fiunt necessario, et nil est in nostra potestate.

119 R. Divina providentia causas necessario operantes, necessario gubernat, libero, autem, causas libere agentes. Hinc S. Aug. (15 *de Civ. D.*) *Ordinem causarum non negamus, non est, autem, consecuens, ut si, certus est ordo causarum, ideo nil sit in nostrae voluntatis arbitrio, quippe, nostrae voluntates in causarum ordine sunt.*

METAPHYSICÆ PARS III.

PSYCOLOGIA, SIVE DE MENTE HUMANA.

120 Quia Angelorum notionem non habemus nisi per revelationem, ideo ad Theologos: nos, vero, Animae humanae, naturam, originem, dependentiam a corpore, atque potentias investigabimus.

CAPUT I.

De natura anima humanae.

121 Principium, quo homo verum intelligit, bonum vult, suarumque operationum sibi conscius est *Anima* vocatur. Sed quia nullam habemus ideam spiritus, eum negative definimus, ut quidquid non est corpus, etsi substantia, *Spiritus* vocetur: nisi dicere velimus: *Spiritus est Substantia cogitans*. Corpus, sive materia est substantia extensa, solida, divisibilis, et iners.

122 Qui unicam substantiam admittunt *Monistae* dicuntur: qui vero substantiam spiritualem, et materialem distinguunt, *Dualistae*. Monistae, qui solam materiam agnoscunt, *Materialistae* vocantur, sed, *Idealistae* sunt, vel *Egoistae*, qui totius mundi negant existentiam, ac solum suae animae admitunt.

123 Animam humanam esse corpus aiunt Materialistae, quibus adhaeserunt Epicurei, alique: nostris, autem temporibus Tolandi, Codvardi, et Lokii plures sunt sectatores: neque desunt Catholici animae spiritualitatem fatentes, sed nulla ratione demonstrari posse contendentes. Adversus omnes statuitur.

Propositio. *Anima humana est spiritualis*.

124 Prob. Principium cogitationis nequit esse substantia extensa solida, divisibilis, et iners, sed anima est principium cogitationis, ergo nequit esse extensa, solida, divisibilis, et iners: ergo non est corpus.

125 Prob. maior. 1.° Nequit esse extensum, cogitatio, enim, tamcuam eius modus, esset etiam extensa, erit, ergo figurata, rotunda, cubica &a. erit alia rarior, alia densior. ¿Quis talia deliramenta credet? Item, si cogitatio est extensa, vel coextenditur toti animae, vel non. Si illud, cum una pars cogitationis sit in una animae parte, et alia in altera, nullum erit judicium ¿quomodo, enim, duae ideae, diversis partibus stantes comparabuntur? Si hoc, ergo tantum illae animae partes cogitabunt ad quas se extendit, ceterae erunt stupidae: vel si omnes cogitant, una pars ferret judicium

affirma tivum, altera negativum, alia dubium &a., non potest, e rgo, substantia extensa cogitare.

126 2.º Neque substantia solida est cogitationis capax. Nam ideae, vel erunt solidae particulae subtantiae, vel actiones externi objecti. Non primum, nam illae solidae, particulae, quia solidae, nequeunt in unum coire, ut judicium exurgat. Non secundum, nam diversae, et oppositae ideae diversas, et oppositas exigunt actiones, adeoque nulla idea erit in judicio, sed à diversis, et oppositis actionibus tertia alia eliciet, sicut contingit diversis motibus, eodem tempore, eidem corpori, applicatis.

127 3.º Repugnat divissibilem substantiam cogitare: nam vel singulae partes cogitant, vel non. Si primum, unaquaeque pars continebit omnes ideas unitas, ideoque idem judicium erit multiplicatum, juxta numerus partium, quod est absurdum: et si non illas continet, jam non erit comparatio idearum, quia non est unio, ideoque nec judicium. Si secundum, jam nulla erit cogitatio, quia quod unaquaeque pars per se non habet, neque per unionem habebit: unio, enim non mutat essentiam partium, sed tantum accidentia.

128 4.º tandem. Substantia iners est incapax cogitationis, quia illa manet in quietis, vel motus statu donec ab externa vi mutare illum cogatur, eiusque mutatio fit per lineam rectam: mens autem absque vi externa, uno momento, cogitat de Deo, justitia, bonitate, de spiritibus &a; pro libitu ab una ad aliam cogitationem se transfert, ¿quae, ergo, erit externa motio ipsam determinans? Imo in ideis ab externis objectis excitatis unas eligit, alias libere respuit, quin alicua possit causa assignari: atqui haec phaenomena cum inertia substantiae nequeunt consiliari, ergo inertiae repugnat cogitatio: aliunde etiam extensioni, soliditati, et divisibilitati: ergo principium cogitationis non potest esse extensum, solidum &a.

129 Op. 1. Non possumus certó determinare an materia actu cogitet, sicut incertum est an homo somni tempore cogitet, ergo, non cognitis modis, quos accipere potest materia, non debet asseri eam incapacem esse cogitationis.

130 R. Nullonmodo requiritur cognitio essentiae materiae, modorumque ejus, ut asseratur eam incapacem esse cogitationis, sufficit, enim, demonstrare contradictionem inter es-

sentiales materiae propietates, et cogitationem. Demonstrata, ergo, hac contradictione cum extensione, soliditate divisibilitate, et inertia, recte concluditur nullam materiam cogitare, actu, neque posse cogitare.

131. Inst. Contradictio illa supponit, falso, omnes materiae actiones esse corporeas, nam magnetissimi nulla est actio corporea, viresque materiae diversae sunt ab actuali motu, quia in solo conatu consistunt: ergo, non est talis contradictio, inter cogitationem, et materiam.

132 R. Cum una eademque substantia nequeat vires diversi generis habere, si materia non peragit actiones suas motibus corporeis, jam non erit materia, quod implicat. Magnetissimum, et quaecumque materiae vires motum velut terminum respiciunt, nullos, enim, producere possunt effectus absque motu locali.

133 Inst. Absurdissimum est negare, Deum posse materiam cogitantem creare, quia apparet contradictio ¿quae maior contradictio, quam, quae est inter attractionem, et repulsionem? et videmus hoc. Corpus agit in animam, eique unitur, licet contradictorium sit. Certé, quia ex nihilo, nihil fiet, negabimus, Deum mundum ex nihilo condidisse? ¿Nonne legimus, *Mat. 3. Potens est Deus de lapidibus, suscitare filios Abrahœ?* Si negamus, quod nobis contradictorium videtur, corruent praecipua Religionis mysteria.

134 R. Deo omnipotentissimo negamus potestatem res contradictorias efficiendi: potest, quidem, materiam in spiritum mutare, ipsam destruendo, et ejus loco spiritum sobstituendo: at, facere materiam cogitantem non potest habere ullam causam, nisi, chimaerica, cum contradictio inter illam et cogitationem non sit apparens, sed vera, et realis. Inter attractionem, et repulsionem est contradictio, si habentur eodem corpore, et eodem loco, non veró diversis locis licet eodem corpore.

135 Inter corpus et spiritum nulla est actio materialis, sed quaedam commercii lex, quae analogas efficit utriusque principii operationes, quin eas confundat, in quo nulla est contradictio, sicuti inter cogitationem et materiam. Aliud est res alicuas captum nostrum excedere, aliud, eas rationi repugnare. Mysteria fidei captum nostrum excedunt, sed nulla est in eis contradictio. Tandem, laudatus Scripturae lo-

eus divinam ostendit potentiam, ut cor durum, et lapideum, in sensibile, et carneum convertat; non autem, ut faciat chimaeram materiae cogitantis.

136 Op. 2. Anima mutatur de loco in locum, agit in corpore, separatur ab eo, et cogitationes sunt aliae, aliis celeriores: ergo.

137 R. Cum corpus movetur in loco, anima praesens est corpori; non tamen movetur cum ipso, non, enim, est in corpore sicut rota in horologio, sed animando illud ut fiat commercium inter cogitationes animae, et motus corporis, quod si vitiatur cessat tale commercium, et moritur homo, non per separationem animae, sed per cessationem commercii, itaque ea novum acquirit percipiendi modum, non novum locum.

138 Inst. Si anima non est in loco nullibi erit de quovis, enim loco dici potest: hic non est anima, ergo est in loco.

139 R. Cuando de spiritibus quaeritur an in loco sint, an extra, neutrum dici potest, quaeritur, enim, contradictorium, an inextensum sit in extensione. Si, veró, pro loco intelligatur relatio, ac distantia ab imaginariis finibus, hoc sensu, est in loco.

140 Op. 3. Inter animae cogitationes, et corporis motus debet esse proportio, atqui proportio est duorum homogeneorum compositio, homogenea autem sunt ejusdem speciei: ergo.

141 R. Ad proportionem animae, et corporis non requiritur homogeneitas, sed sufficit ut hae duae diversae substantiae sibi mutuo afferant adjumentum. Licet, autem, hujus commercii claram non habeamus cognitionem, habemus ideam contradictionis inter materiam, et cogitationem, ideo, hac non obstante dependentia, utriusque substantiae diversam naturam deffendimus.

142 Inst, Ex cualitatibus cerebri, de acumine, ac imbecibillitate tam in homine, quam in brutis judicamus: ergo anima est materialis.

143 R. Illud judicium efformari ex commercii legibus à Deo stabilitis, et cognitis â nobis, vi cuius datis talibus cerebri motionibus, tales excitantur ideae, ad quod cerebri structura, et dispositio confert.

144 Opp. tandem. Tatianus, Origenes, Irinaeus, Tertullianus, aliique Patres Ecclesiae animam corpus vocarunt: ergo.

145 R. Quod Patres animam sensu lato; non, verò, stric-

to, corpus vocarunt, cuatenus corporeum dixerunt, omne temporum, ac spatio.ıum limitibus cricunscriptum. Tertullianus, autem, teste D. Augustino, nimis ad Materialistas deflexit.

ARTICULUS II.

DE ANIMAE IMMORTALITATE.

146 Substantiae spiritualis perpetua duratio dicitur *Immortalitas*, si, enim, substantia sit materialis ejus duratio erit *Incorruptibilitas*. Duplex distinguitur immortalitas, nam *intrinseca*, vel *absoluta* est, quae nullum habet, interius, corruptionis principium: *extrinseca*, vel *relativa* quae excludit omne principium a quo exterius destrui possit, quae soli Deo competit: ideo hic de intrinseca agimus.

147 Epicurei et Stoici, animam cum corpore solvi dixerunt, cui errori adhaeserunt Aristoteles, Galenus, Dicaearchus, Aphrodiceus, Achillinus, Pomponatius, Cesalpinus, aliique formis peripateticis nimis addicti,animam ex primarum cualitatum corporis temperatione genitam putarunt, ideoque multi conquaeruntur, Aristotelis formas, ad tantam impietatem viam aperuisse. Nostris, autem, temporibus plures sunt Spinozae, Tollandi, Cowardi, et auctoris libri *l' homme machine*, qui Metryus creditur, vestigia prementes, Epicureissimum amplexati.

148 Concilium Lateranense sub Leone X proscripsit eorum errorem, qui animam juxta fidem immortalem; juxta philosophiam, vero, mortalem dixerunt, praecepitque omnibus Philosophiae professoribus, plurimum hac super re insistere, licet aliqui animae immortalitatem fatentes, id naturali ratione demonstrari non posse contendant, ut sunt Scotus, Nicolaus Gerottus, Lokius, aliique, quos Cl. Melchior Canus (*De loc. Theol. lib.* 12. *c*, 1.) Sit igitur.

Propositio. *Animam humam esse immortalem, ratio demonstrat.*

149 Prob. Anima corpori superst, ab eo separata, manet in exercitio suarum cognoscendi operationum, et non destruitur á Deo: ergo immortalis demonstratur lumine rationis. Prob. ant.

150 Anima est spiritualis (n. 124) ergo caret partibus in quas resolvi possit: ergo est incorruptibilis, omnis, enim, corruptio fit per solutionem partium: ideo aiebat Tullius *(l. 1. quaest.)*: *In animi, autem, cognitione dubitare non possumus; nisi plane in physicis plumbei simus, quod nil sit animis admixtum, nil concretum, nil copulatum, nil duplex. Quod, cum ita sit, certó, nec decerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest, nec interire, igitur, est, enim, interitus, quasi dicessus, et secretio, ac direptio earum partium, quae ante interitum functione alicua tenebantur.* Ergo caret anima intrinseco corruptionis, principio: ergo ejus immortalitas ratione demonstratur.

151 2.º Anima a corpore separata habet sua essentialia, adeoque cogitandi facultatem, quia eam non habet a corpore, cum plura cogitet, quae corpori non afficiunt, imo ei contraria: ergo, sicuti nil impedire potest, animam corpori superesse, ita nil impediet, eo in statu vivere, cogitare, suasque operationes cognoscere, eo ipso quod cogitat.

152 3.º Nulliter probari potest, ait Grotius, Deum velle, animam destruere, imo ostenditur, Dei esse voluntatem, eam in aeternum servare: innatum, quippe, perpetuae felicitatis desiderium ab ipso Deo animae impressum frustraneum esset, si anima cum corpore interiret, vel ab eo separata, parum esset duratura, ad nihilumque inserviret, nisi ad nos cruciandos, sicuti cruciatur qui sitim ardentìssimam non potest extinguere, quod summae Dei bonitati omnino repugnat: ergo Deus, qui nil frustra operatur, et nobis impressit perpetuae felicitatis desiderium vult, animam in aeternum servare.

153 Tandem. Justitiae leges exigunt, ut Justi, et impii retribuantur, ergo, cum illi hac in vita, misere degant, et isti felices sint, praemia illorum, et supplicia horum in aeternam vitam servata sunt. Atqui virtus et culpa ratione objecti sunt infinitae: ergo praemia, et poenae debent esse infinita, taliaque esse non possunt, nisi anima esset infinitae durationis, nam velut finita creatura, non est capax intensitatis infinitae: ergo ratio suadet, eam esse debere immortalem.

154 Op. 1. Anima ita desiderat suam felicitatem, sicut sui corporis durationem, sed hoc desiderium frustratur, ergo et illud: ideoque non est a Deo insitum, sed praejudicium educationis, ac proprior, nil alind est, quam desiderium pro-

priae conservationis: ergo non probat. &a.

155 R. Quod licet ratio non evincat corporis durationem, et hoc desiderium expletum iri, fides, tamen, id suadet, ideoque non frustraneum erit, resurget enim, corpus ultima die saeculorum. Hoc perpetuae felicitatis desiderium, ergo, in omnibus reperitur, ideoque non potest dici educationis praejudicium, sed naturale, et a Deo impresum: neque confundi debet cum propriae conservationis instinctu, qui etiam brutis competit; nam hoc desiderium tendit ad vitam nuncuam desituram, quo, certé, carent bruta.

156 Op. 2. Justi in testimonio bonae conscientiae, et hominum laudibus praemium habent; mali, autem, stimulis, infamia, et suppliciis legum satis puniuntur: ergo cum Deus nulla lege teneatur, ut justis praemia, et malis, supplicia aeterna decernat; alias etiam necessaria esset alia vita, ut ferae paenas caedum ab ipsis factarum luerent, non probatur hac ratione animae immortalitas.

157 R. Tranquillitas conscientiae, et vicissim, ejus stimuli, licet aliquid importent ad praemium justorum, et poenam impiorum non sunt adaecuata praesertim penes impios, qui testimonium intimum aspernantur, sed sicut bona, et mala ratione objecti sunt infinita, debent esse talia praemia et supplicia, ut sint adaecuata. Ita pariter esset respectu belluarum, si essent liberae ad bonum, et malum operandum, et non, mero suae conservationis instinctu, procederent.

158 Op. Anima gignitur cum corpore, crescit, et senessit, angiturque doloribus corporis, et infirmatur: ergo etiam cum eo moritur. Praesertim, cum sine corpore nil agere possit, tamquam pars ejus.

159 R. Animam non gigni cum corpore sed in ipso a Deo creari: crescit autem, senescit, et infirmatur cum corpore, non, quia in ea fiat alicua mutatio; sed quia organa corporalia modo diverso operantur, ut animae ideae illis motibus conformes, eodem modo producantur: a corpore, autem, separata non eget sensibus, habet, enim, intellectum, et voluntatem, quibus cum, nobilior, agit.

160 Inst. Conservatio est continua reproductio: ergo anima in corpore producta extra ipsum nequit reproduci, consecuenterque nec conservari. Sed, si immortális ¿cur mortem timet? ¿Lubensne intravit in corpus, an coacta?

161 R. Animam creatam fuisse in corpore non ex necessitate, sed voluntate Creatoris, ideoque extra ipsum conservatur. Mortem timet, quia futuri nullam habet certitudinem, vel, etiam, quia terrenis bonis assueta suam constituit in istis felicitatem. Cum, vero, corporis sui creationem non praecesserit, sed in eo creata fuisset vi legum creationis, neque lubens, neque coacta in corpus intravit.

162 Op. 4. Dantur entia spiritualia corruptibilia, ut ideae, habitus, et animae brutorum, ergo anima licet spiritualis, est corruptibilis.

163 R. Nullam esse comparationem cum anima idearum, habituumque ejus, haec enim, sunt pura ipsius accidentia, quae variari ac defficere possunt. Non solum, verò, animae inmortalitas ab ejus spiritualitate probatur, sed ulterius ab universali consensu, et a desiderio perpetuae felicitatis. Licet, ultro, concedamus, brutorum animas esse spirituales, numcuam demonstraretur Deum non velle eas anihilari, sicut de anima humana demonstratur (n. 152, et seq.) illae enim animae a corpore omnino pendent, bonique moralis, ac legun sunt incapaces, adeoque immortalitate non egent.

164 Op. 5. Moyses in animae creatione solum dicit: *inspiravit spiraculum vitae:* quae vox juxta hebraeorum vocabulum communis est etiam brutis, significat, enim, halitus, flatus, ideo ab ipso Moyse animabus brutorum tribuitur. Ecles. 3 dicitur: *Unus est interitus hominum et jumentorum, et aequa utriusque conditio. . . . Nil habet homo jumento amplius.* Sap. 20. *Cinis erit corpus nostrum et spiritus diffundetur, tamcuam mollis aer.* Ap. tandem, (ad Tim. 1a. 6): *Deus solus habet immortalitatem:* ergo &a.

165 R. Moyses animae spiritualis non meminit, Judaeorum rusticitati se attemperans, sicut Deo, membra, ideo, tribuit corporalia. *Judaeis, enim, loquebatur,* ait Crisost. (hom. 2. in 1. Gen.), *qui toti praesentibus rebus inhiabant, nec spirituale quidquam comprehendere valebant.* Salomon, non ex propria, sed ex impiorum sententia protulit ea, nam ejus mens apparet in cap. 12 ubi ait: *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat; et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Et sapientiae. *Haec cogitaverunt, et erraverunt excaecavit, enim, malitia eorum.* Ap. tādem, Deo soli tribuit immortalitatem necessariam, nam, *anima est immortalis, non natura, sed gratia,* ait Sophronius

CAPUT III.

DE MENTIS HUMAMAE ORIGINE.

166 Platonici, Pythagorici, et Originistae, animas, multo ante corpus, conditas, astra incoluisse, putarunt: indeque ob poenam alicuorum criminum in corpora detrussae, ab hoc carcere egressae, ad alia corpora, etiam innobiliora, pro meritorum conditione, transmigrarut. Stoici, Manichaei, Priscillianistae, et Spinozistae, animas divinae substantiae particulas vocarunt. Tertullianus, Apollinaris, aliique, particulas animae patris. Alii, tandem, eas à Deo creari fatentur: sed, an id quotidie fiat, an ab initio mundi contendunt. Leibnit. et Wolph. aiunt, animas ab initio conditas organicis corporibus inclusas fuisse, simulque cum illis machinulis in uteros matruum transeunt.

Censura *pythagoricae metempsicosis.*

167 Sacra ex Scriptura constat, Adami animam non fuisse corpore suo antiquiorem, ideo haec opinio pluries ab Ecclesia damnata est. Sed quaerendum est. ¿cur animae in corpora detrussae nullam, rerum praeteritarum, habeant, reminiscentiam? Licet Pithagoras, teste Laertio, de pluribus, se meminisse dicat. ¿Quis mendacii, vel delirii eum non arguat, dum asserit rem contra comunem sensum tam singularem?

168 Obj. Origenes. Anima non potuit, nisi ob poenam corpori infirmo, et alicuando monstruoso uniri. Ideo Salomon; *Sortitus sum,* inquit Sap. 8, *animam bonam, et cum essem magis bonus, veni ad Corpus incoinquinatum:* et David: *Priusquam humiliarer, ego deliqui: Educ de carcere animam meam. Revertere, anima mea, in requiem tuam &a.*

169 R. Unionem animae cum corpore naturalem esse, non poenalem: corporis, autem infirmitas, aut monstruositas est à peccato originali, non, verò, à delictis, in stellis patratis: Salomon: loquitur de bona sui animi indole, ac felici. sui corporis, temperamento. Sed, si cum Origine illud intelligas, quaeritur ¿quo delicto anima bona, et magis bona in corpus, tamcuam in carcerem detrussa fuit? David humiliatur propter peccata, non in stellis, sed in corpore patrata, cupiebat-

que disolvi à corporis impedimento, ut aeterna pace frueretur, et reverti in gratiam, quam perdiderat, et cnm illa, conscientiae quietem.

CENSURA *erroris Stoicorum.*

170 Si Anima esset divinae Substantiae pars, Deus non esset simplicissimus (n. 65), esset quoque perfectissima. Optimé S. Aug. (*disp.* 1. *n.* 10) adversus Fortunatum. *Animam videmus,* ait, *et peccatricem esse, et in aerumnas versari, et veritatem quaerere, et liberatore indigere. Haec mutatio animae ostendit mihi, quod anima non sit Deus: nam si anima substantia Dei est, Substantia Dei errat, substantia Dei violatur, substantia Dei decipitur, quod nefas. est dicere.*

171 Dices cum Spinosistis. Anima spiritus Dei, in Sacris, appellatur, ideo Ap. (Act. 17) *In ipso vivimus, movemur et sumus,* ait.

172 R. Quia omnia pendent à Deo, Dei vocantur, cum ab eius Omnipotentia prodierint, et conserventur, ideo venti, tempestates, aquae, montes, et creaturae omnes, Dei dicuntur: neque ex adducto Apostoli testimonio aliquid, quod Spinosistis faveat, infertur, ut per se patet.

CENSURA *hypothesis Traducianorm.*

173 Si anima filii esset pars animae patris, utraque esset divisibilis, ideoque corporea (n. 121), animaque patris sensim imminueretur pro filiorum procreatione, et anima filii iisdem esset ornata virtutibus, aut vitiis, quibus anima patris, quod experientia falsum est: ergo.

174 At inquis., Animae filiorum Israel egressae sunt de femoribus Patris, (Gen. 46) sed egredi non potuerunt cuoad corpus, quod in materno utero continetur: ergo cuoad animam: alio modo non explicatur originale pecatum.

175 R. Laudato loco animae pro toto homine sumuntur, et egressae dicuntur de femoribus, quia germen in utero contentum non solvitur, nisi per seminalem auram, quae é femoribus patris descendit. Originale peccatum contrahitur, quia anima sine macula corpus vitiatum ingreditur, ex hacque unione exurgit homo filius Adae debitor justitiae originalis, in quo debito est peccatum.

CENSURA *Wolphianae opinionis.*

176 Corpuscula illa animata, juxta Wolph, aut motus vitales exercent, aut non? Si primum, exolventur per se absque fecundationis nescessitate. Si secundum, nullam vitam habent, non habentes motum, ac ideo, nec animam. Sed: ¿ad quid tot animae in numquam nasciturisʔ Cum, ergo, Deus nihil frustra operetur, wolphiana opinio rejici debet.

177 Dices. Deus die septimo requievit à Creatione, ergo creando quotidie animas non requievit. Et, si haec nova creatio accidit, mundi essentia immutatur, additur, enim ei, quod non habuit post diem septimum.

178 R. Cum D. Aug. et Thoma. Deum die septimo quievisse à novis condendis generibus; non autem individuis, ad species creatas conservandas; itaque mundi essentia immutaretur, si ei adderentur species creaturarum; non vero individua.

179 *Corollarium.* Simul ac fetus est apte organizatus, animatur. In Concilio Lateranesi. V. Ses. VIII. statuitur: *Animam rationalem, pro corporum, quibus infunditur multitudine, singulariter esse multiplicabilem, multiplicatam, et muntiplicandam.* Ideo Gregor. XIV. excomunione procurantes abortum mulctavit; et Innocent. XI. hanc proscripsit propositionem: *Licet procurare abortum ante animationem, ne puella, deprehensa gravida, occidatur, aut infametur.* Anima, ergo, creatur post corporis organizationem.

CAPUT IV.

DE UNIONE MENTIS, ET CORPORIS.

180 Mens corpori unita est, dum homo vivit: inter ideas, autem, animae, et corporis motus, et vicissim, quaedam *commercii* lex stabilita est à Creatore. Sunt autem actiones animae vel *liberae*, quibus pro libitu vacat anima, ut amor, odium &a., vel *necessariae*, ut amor sui ipsius &a. Pariter corporis motus, vel sunt *necessarii*, qui non pendent a voluntate ut circulatio sanguinis &a., vel *spontanei*, qui mentis imperio subjacent ut deambulatio &a. Sed quaeritur ¿quomodo inter substantiam

spiritualem, et corpoream, toto coelo, inter se diversae, haberi posit illud comercium?

181 Scholastici *physicum influxum* invenerunt, id est, vera actio, qua fit, ut aliquae animae functiones in corpus transeant, et vicissim, motus corporis cuasdam producant in cerebro imagines, sive phantasmata, quae animam ad cognitionem rerum perducunt: pariterque ex animae perceptionibus, quaedam vix motrix producitur in corpore, dirigens fluidum nerveum ad spontaneos corporis motus.

182 Cartesius *Causarum occosionalium* systhema proposuit, à Mallebranchio illustratum, in quo animae, et corporis functiones á Deo fiunt, ex cuadam lege sancita, qua motibus in corpore accidentíbus, creat determinatas ideas in anima, illis motibus respondentes, et ad animae ideas motus in corpore producit, ideis illis conformes: itaut corporis motus sint purae occasiones, ut Deus creet ideas; et vicissim, ideae animae occasiones, ut Deus producat motus corporeos.

183 Leibnitius et Wolphius, animam et corpus duo authomata fingunt, quae absque ulla mutua dependentia, et tantum vi mechanissimi suas functiones operantur: ita ut anima absque corpore easdem haberet ideas quas illi unitá habet, et vicissim, corpus eosdem motus, etiam nulla anima existente, idque fieri, ex preaevisione Dei, qua prescivit quaenam futurae essent utriusque substantiae operationes, et harmoniam praestabilivit, qua ideae, ac motus consona essent, licet illae in hos non influant; ideo hoc systhema *harmoniae praestabilitae* vocatur.

Propositio 1a. *Systhema physici influxus experientia, intimoque sensu certum videtur: attamen, illius, nullam claram ideam habemus.*

184 Prob. 1. p. Physicus influxus edocet; animan corpus movere, et vicissim, eam in aliquibus perceptionibus a corpore pendere: utrumque, autem, esse, experientia, intimusque sensus suadent: nam, quo posito, ponitur effectus et, quo sublato, vel imminuto, aufertur, vel imminuitur effectus, illud certè est vera causa, atqui positis animae ideis, et vicissim motibus corporis utriusque substantiae functiones, respective, operantur: ergo, systhema &a.

185 Sané, ideo anima non posset movere corpus, vel quia spiritus, vel quia media ignorat, sed, Deus, et Angeli sunt

spiritus, et, tamen, corpora movent, Anima, etiam, ignorat, quomodo percipiat, velit, corporique uniatur, et, tamen percipit, vult, corporique unita est: agit, enim, naturaliter, eiusque agendi facultas est a Deo, qua utitur, licet eam, eiusque modos ignoret; ad differentiam agentis artificialiter, qui noscere debet agendi modum suae artis proprium.

186 Prob. 2. p. Non potest concipi, quomodo anima immaterialis agat in corpus materiale; et vicissim, sive, ut, aiunt Scholastici, quod spirituale est *corporizetur*, et quod est corporeum *spiritualizetur*, nullam ergo habemus claram ideam physici influxus, licet illum experientia intimoque sensu, veluti certum tenamus.

PROPOSITIO 2a. *Causarum occasionalium systhema Philosophiae repugnat, et etiam Theologiae.*

187 Explicare per continua miracula naturales effectus alienum est á Philosopho: ita, autem, faciunt occasionalistae, directio, enim, spiritum animalium non est ab anima, sed à Deo, à quo, etiam, fiunt sensationes animae, non à motibus corporis: sed hoc est continuum miraculum, non, enim, fit naturaliter, sed supernaturaliter, ergo, commercium animae, et corporis per continuum miraculum explicatur, quod Philosophiae repugnat.

188 Prob. 2. p. In hac hypothesi, nil fit animae virtute, sed solus Deus est auctor motuum, et cognitionum occasionalium: ergo anima innocens erit in suis pravis cogitationibus: et corporis quicumque motus, etiam criminalissimi, non animae, sed Deo tribuendi erunt. Neque dicas, animam esse causam moralem motuum corporis, quia appetens eos libere, determinat Deum ad illorum productionem, nam illae appetitiones pendent ab ideis objecta exhibentibus, hae ideae ã Deo, quoque excitantur, ideoque, nec animae appetitus, nec corporis motus pendent ab animae voluntate, sed â solo Deo, illos producente; sed hoc dicere nefas est: ergo causarum occasionalium systhema Theologiae repugnat.

PROPOSITIO 3a. *Praestabilitae harmoniae systhema, et à Physicis, et à Cathloicis rejici debet.*

189 Prob. 1. p. In hoc systhema, corpus ad ideas animae nil confert, cum haec sit authomaton suas ideas mechanice producens: neque corpus eget anima ad suos motus, ideoque absque anima etiam ordinato sermone loqueretur; id eo-

que, neque corpus aget in animam, nec vicissim anima in corpus. nulla, ergo, asignari potest ratio sufficiens variarum animae perceptionum corporeis motibus respondentium, et motuum corporis animae ideis convenientium, quod Physicus numcuam concedet.

190 Prob. 2. p. Hoc in systhemate anima operatur immutabili naturae necessitate, motusque corporis non subduntur imperio animae, sed omnia fiunt mecanica concatentione: ergo non est humana libertas. ¿Ad quid, igitur, poenae à lege divina, et humana scelestis inflictae? Non, enim, debent applicari, ubi natura invencibili operatur necessitate: innutilis, ergo, erit tota moralis doctrina, ut corpus in servitutem redigamus, quod fidei adversatur: ergo à Catholicis hoc systhema rejici debet.

CAPUT V.

De animae potentiis.

191 Animae patentiae tres communiter assignantur: *Intellectus,* nempe, *Voluntas,* et *memoria.* De ipsis separatim agemus, sed veré locuendo cuartam assignare possemus, nempe *Sinderesim,* quae est facultas, vi cuius, anima ideas ordinat, et dirigit, ut judicium verum efformet, in his ab intellectu propositis; sed à novitate volumus abstinere.

ARTICULUS I.

De intellectu. Ubi de idearum natura, et origine.

192 Ea animae facultas, qua percipit, judicat, et ratiocinatur *Intellectus,* dicitur, quidquid asserant aliqui Philosophi volentes non ssse potentiam sed congestum operationum animae. *Objectum* intellectus est *Verum.*

193 Jam alibi ideam definimus (Log. n. 5.) Sed implicatior quaestio est circa earum originem. Platonici, Leibnitiani, et Cartetiani volunt eas fuisse menti impressas, sed diversimode explicantur: nam Platonici, animam ante corpus conditam, statuentes (n. 166), ipsi ideas ingenitas tribuunt, quae per unionem cum corpore obliteratae, paulatim

studio excitantur, scireque nil sit, quam reminisci. Leibnitiani omnes ideas innatas possuerunt, quae nullo habito respectu ad corpus exsolvuntur (n. 183). Cartetiani, tandem ideas distinguunt in innatas, adventitias, et factitias (Log. n. 7). Sed in adventitiis, causarum occasionalium systhema propugnant. (n. 182). Singulariter Malebranch. statuit, mentem Deo, continuo uniri, atque in eo objecta, quae novit, videre.

194 Alii cum Arnaldo, ideas â perceptionibus non distinguentes, ajunt perceptiones, seu ideas, à mente ellici, quoties in sensibus motiones fiant perceptionibus ipsis respondentes.

195 Tandem, intellectum esse ab omni idea destitutum, omnesque illi a sensibus evenire, dixerunt alii, unde axioma illud: *nil est in intetlectu, quin prius fuerit sub sensu.* Democritus, et Epicurus, à corporibus imagenes materiales advolare, putarunt, quae in animam materialem etiam, imprimuntur. At scholastici species materiales á corporibus emitti, credunt, quae ad cerebrum perductae, animam ad sibi cudendas ideas determinare. Species illae respectu cerebri dicuntur *impressae,* respectu intellectus ideas producentis, *expressae.* Intellectus ideas producendo vocatur *agens,* species, vero, recipiendo *patiens.* His praemissis sit.

Propositio. 1a. *Nullae sunt ideae innatae.*

196 Prob. Si quae ideae forent menti impressae, forent omnibus hominibus, ergo omnes homines et rustici, et Infantes eodem modo conciperent, et meditarentur, quo Sapientiores: nam ad cognoscendum, unicé, requiruntur potentia, et objectum; cum, ergo, omnes homines eamdem habeant cognoscendi facultatem, nempe, intellectum, et eadem obiecta, ideas, scilicet, innatas, eandem debent habere objectorum cognitionem, ac sapientiores. Neque dicas, impressas ideas obliterari per unionem mentis et corporis, ac postea studio ac labore excitari, nam simulac idea excitetur tam in rustico, quam in sapiente, erit una eademque in utroque. Assignentur, denique, quae ideae á sensu, et meditatione non sint in nobis exortae, sed istae nequent assignari: ergo nullae dantur ideae ingenitae.

197 Op. 1. Ideae omnes sunt spirituales, ergo á materialibus sensibus nequeunt evenire, sed neque ab anima, nam illa vel cognoscit idearum objecta, vel non. Si illud, jam ipsorum habet ideam. Si hoc, divinabit efformando ideam objecti incogniti, sed utrumque est absurdum: ergo.

198 R. Hoc argumento probari posse, judicia, et ratiocinia impressa esse à Deo, eadem, enim, ratio militat: sed dicimus: animam sua virtute ex impressionibus materialibus objectorum ideas efformare; de immaterialibus, vero, ex praecedentibus ideis, non, igitur divinando efformat ideas.

199 Inst. *Nil volitum, quin praecognitum*; ergo dum mens quaerit veritatem habet ipsius praecognitionem impressam, sicut nemo fugit hostem non praecognitum.

200 R. Nil est volitum quin praecognitum in his, quas mens libere appetit; non vero in illis, ad quas necessario fertur, sicut veritas, quam ex conformitate idearum necessario invenit, et necesario assentit, absque praecognitione, Hinc illud Tullii: *Qaemadmodum necesse est lancem ponderibus deprimi, sic animum perspieuis cedere.* Patet, ergo, disparitas inter verritatem, et hostem incognitum; hic, enim nullum habet characterem oculo notum, sicut veritas, ideo non poterit cognosci.

201 Op. 2. Mens statim assentit primis principiis: ergo sunt innata.

202 R. Lucida objecta simul ac exhibentur, cognoscuntur, quin ideo inferatur, illam cognitionem esse innatam: pariter, ex quo eluceat evidentia in primis principiis, stulte inferretur, ea esse innata.

203 Jnst. Si moralia principia non sunt innata, nulla est lex naturalis. Ea, autem, esse innata patet ex conscientiae stimulis ob infractionem alicuornm, et ex universali consensu.

204 R. Ad cognoscendum evidentiam moralium principiorum sufficit lumen rationis, quin illa innata dicamus. Lex, autem, naturalis est ipsa animae indoles ad verum, et bonum, ex sua natura, determinata, hincque sunt conscentiae stimuli, dum anima contra suam naturam operatur, ideo consensus in aliquibus principiis moralibus est universalis, quia ex ipso rationis lumine eliciunt; non, autem, quia innata sint.

205 Inst. Ap. ad Rom. 2. ait: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis:* ergo lex naturalis est innata.

206 R. Ex laudato testimonio tantum sequi, Gentes legem scriptam non habentes, lumine rationis agnoscere posse legis naturalis praecepta, ideo ait: *testimonium illis reddente conscientia ipsorum,* nam lumen illud efformat in Gentilibus, conscientiam, qua agitantur, dum male agunt.
207 Ob. 3 Ideae abstractae entis, substantiae, pulchritudinis, bonitatis &a. non sunt á sensibus, qui unicé á sensibilibus afficiuntur: ergo.
208 R. Illae ideae non sunt ã sensibus immediate, sed mediate, quia mens é pluribus singularibus ideis. a sensibus acquisitis, singulares, et abstractas ideas sibi cudit: ideo infantes nedum capaces ex singularibus ad universalia argumentari, nequeunt cognoscere, nisi singularia objecta, quod non accideret, si ideae universales et abstractae essent innatae, et non a ratiocinio penderent.
209 Op. 4. Idea Dei infiniti, et perfectissimi non potest educi à creatis finitis, et imperfectis: ergo habetur innata.
210 R. Idea Dei in mente nostra non potest esse infinita, et perfecta, id est, positiva, sed imperfecte et negative á Creaturis hauritur, ex earum perfectionibus quae eminenter in Deo continentur, mentem elevando contemplare ipsius attributa, et perfectiones, quae removent omnem finitudinem, veluti imperfectionem.
211 Inst. Idea Dei nil potest convenire cum sensibilibus; sed anima sibi cudit ideas sensibiles, ergo, ex illis non potest hauriie Dei ideam.
212 R. D. m. Ideae animae sunt sensibiles, si sola sensatio attenditur, conc; si etiam attendatur reflectio, neg. Si hominum actiones perpendimus attenté, praeter corpus, aliam nobiliorem substantiam agnoscimus, à qua illae actiones diriguntur: ideoque mens ex sensibilibus obiectis mira varietate, pulchritudine, ordineque dispositis, ad contemplationem primae causae exurgit.
213 Inst. Sicut ex idea soni non potest efformari idea coloris, quia ista nullam habet connexionem cum illa, ita ex idea creaturae finitae non potest hauriri idea Dei infiniti, quia nulla est proportio: ergo.
214 R. Inter Deum et creaturas nullam esse proportionem naturae, sed tantum relationis creaturae ad Creatorem, quae sufficit, ut anima ex perfectionibus illis, alicuam licet

imperfectam sibi cudat ideam Causae; at inter colorem, et sonum nulla omnino est relatio, ut ex uno inferatur alius: nulla, itaque est paritas.

215 Inst. Idea Dei est simplissisima, ergo nequit haberi ex augmento perfectionum, quae additio facit Deum divissibilem.

216 R. Ideam Dei adaecuatam esse simplicissimam, non, autem, inadaecuatam, cualem nos habemus, sed augendo perfectiones, perfectior est in nobis illa idea, sicuti accidit in Theologo respectu rustici: at non ideo indivissibilitas divina immutatur, per nostrae cognitionis maiorem extensionem, illa enim consistit in unione essentialium attributorum, non in consideratione mentis humanae.

217 Inst. Perfectiones creaturarum non possunt tribuere ideam perfectionum Dei, sunt, enim alterius generis: ergo.

218 R. R. Mens ex rerum adspectabilium contingentia, et impotentia se producendi, assurgit ad cognitionem primae Causae, cui eas adjudicat perfectiones, quae in creaturis elucent, sed eminentiori modo, removetque ab eo quidquid eas destruit, illo conceptu, quod prima Causa debet esse ens quo melius nil excogitari possit; et hoc simplici modo elevatur mens ad illas perfectiones alterius generis.

219 Op. 5. Ps. 4. legitur: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine:* et Gen. 2. Homo. *ad imaginem Dei* factus dicitur: ergo.

220 R. Lumen Dei, juxta S. Thom. est lumen rationis quo possumus Deum, eiusque voluntatem cognoscere, Propheta, enim, quaerit primum. *¿Quis ostendet nobis bona?* et respondit: *Signatum &a.* Factus, autem, dicitur homo ad imaginem Dei, in cuantum pollet libertate, qua vult, et agit, ac insuper divinis virtutibus exornari potest.

221 Inst: S. Aug. *(l. de cuant. An.)* ait; *Mihi videtur, animam omnes artes secum attullisse, ut nostrum scire, nil aliud sit quam reminisci* Et S. Hier. (*in* 1. *Ep. ad Gal.*) docet nullum esse, qui in se ipso non habeat Sapientiae semina. Tandem, magis conforme erat Dei bonitati, ut hominibus sui notitian imprimeret: ergo.

222 R. S. Aug. 3 *Retract.* improbavit omnia, quae, Platonicorum systhema faventia, scripserat, ideo ejus allatum testimonium nullius est momenti. Sanctus. Hieronym. tantum significare voluit, lumen rationis, et aptitudinem ad sa-

pientiam comparandam, nemo, enim, ignorat, eam multo studio, ac labore acquiri, quod non esset, si semina ipsius essent in visceribus hominis. Tandem, Dei bonitas maxime elucet, in quo homines ita creavit ut facile sui creatoris notitiam haberent, et, quidem tam facile, ut, sicut legitur Sap. 13. *Vani sint homines, in quibus non subest sapientia Dei, et de his, quae videntur bona non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes cognoverunt, quis esset artifex: Invissibilia Dei,* enim; *per ea quae facta sunt, intelecta, conspiciuntur:* ait Ap. Rom. 8.

223 Op. tandem. Si anima fetus non habet ideas innatas, non vivit, absque ideis, enim, non est cogitatio, et vita animae est in cogitatione.

224 R. Si anima non cessat vivere cum cessat intelligere, et velle, ¿cur cessabit cum cesat cogitare? Reiici debet, ergo, haec sententia; sed, quamvis eam concedamus, cogitabit, utique, anima fetus, cum plures acquirat ideas a diversis sensationibus doloris, famis, caloris &a. quas, abs dubio, patitur.

PROPOSITIO. *Opinio Malebranchii asserentis, nos omnia videre in Deo, falsa et absurda est.*

225 Prob. Si omnia videremus in Deo, ideae essent immutabiles, sicut Deus ipse, sed ideae mutantur ex aetate, ac vario corporis temperamento, pro statu phantasiae, et memoriae: ergo non &a.

2º Malebranch ait: nos videre in Deo omnia, sicut in speculo, sed imagines non vidimus in speculo, quin ipsum videamus; ergo pariter Deum videmus. Sed respondit Maleb. nos videre Deum in hac vita modo imperfectissimo, quod perabsurdum est: videndo, quipe Deum in hac vita quolibet modo, omnes essemus beati ac sancti, falsumque dicerent Scripturae; *Deum lucem inhabitare inaccessibilem, nullumque hominem videre posse;* necnon erravisset Ecclesia, dum Eunomium asserentem hominem, in hac vita, Deum videre, tamquam haereticum damnavit.

226 Op. Maleb 1º Ideas non habet anima neque a speciebus ad cerebrum advolantibus: neque ingenitas, neque creat eas: ergo habet illas ab intuitu Dei.

227 R. Ex quo mens nostra limitata non possit comprehendere ea, que Deus noluit nobis patefacere, non sequitur

syfthema malebranchianun: nam licet omnes hypotheses non possint evidenter, demonstrari, non ideo amplecti debet alia absurda, nisi illa quae, solidis nitatur fundamentis.

228 Op. 2. Simplicissimum est, Deum per se ipsum omnia menti patefacere, ergo non debet admitti modus alius ideas percipiendi.

229 R. Si quaeritur a Maleb. quomodo anima sensum doloris habeat, intuens in Deo beatissimo, respondit, mentom in Deo videre ideam, et continuo, Deum producere in illa doloris sensum, alio, ergo, modo ideae; alio animae affectiones producuntur: cum simplicissimum sit, perceptionem, et sensationem ab una animae facultate derivare.

230 Op. 3. Dependentia creaturarum a creatore exigit, ut non solum nil videant, nisi quod Deus vult, sed etiam ut nil possint videre, nisi Deus ipse videndum praebeat: ideo Ap. ait: *sufficientia nostra ex Deo est*, et Joan 1. *Lux vera, quae illuminat omnem hominem*. Ergo.

231 R. Essentialem dependentiam creaturae, esse, in esse, et conservari, ad quod tendit Apost. testimonium. Cristus Dominus est *lux, veritas, et via*, ipse enim sua doctrina, suoque exemplo mentem nostram illuminavit, ut veram felicitatem quaeramus.

232 Inst. D. Aug. (2. *conf.* 25) ait: *Si ambo videmus, verum esse, quod dico ¿ubi id videmus? neque ego, in te, neque tu in me; ambo in ipsa, quae supra nos est, incommutabili veritate:* ergo.

233 R. Nos omnia videmus in Deo tamcuam causa, sive visionis principium; non vero, tamcuam objectum cognitum. Hoc sensu loquitur Aug. ut ostendit S. Thom. et ut exemplo D. Angelici utar: recte dicitur, quod in sole videntur omnia, quae ab ipso illuminantur. Sed quaecumque sit mens Aug. eius sententia tanti est, quanti cuiuscumque alterius Philosophi, platonicae sectae addicti, quam ille tenuit, in quibus cum fide conciliare potuit.

234 Inst. Ideas abstractas non habemus a sensibus, ergo a Deo.

235 R. Has ideas esse a sensibus, diximus jam (n. 208).

236 Inst. Idea infiniti non potest aliunde esse, quam a Deo: ergo.

237 R. Ostendimus (n. 209.) ideam infiniti esse a sensibus.

238 Op. 6. Veritates aeternae, et immutabiles nequeunt haberi a sensibilibus, ergo hauriuntur a Deo.

239 R. Si illae veritates essent a Deo numquam mens erroribus esset obnoxia, quod continuo accidit, nam non omnes eodem modo percipiunt: cognitio, ergo, earum veritatum non probat, eas nos a Deo habere, sed tantum, talis esse naturae, ut, necessario, cognoscantur, ex earum evidentia.

240 Op. tandem. Si mens ab objectis efformaret ideas penderet a corpore, et subjiceretur nobilior substantia innobiliori, ergo.

241 R. Sicuti domino non dedecet uti servis suis: et artifici instrumentis, quin ideo dicatur nobiliorem subjci inferiori, ita anima non subjicitur innobiliori dominanti; sed instrumento, seu medio servienti.

PROPOSITIO. 3a. *Reiicienda est opinio Epicureorum, ideas a corporibus avolare, statuens.*

242 Prob. Fingunt Epicurei quaedam a corporibus avolare simulacra ad mentem, sed ex hoc deliramento sequitur. 1.º quod continuae harum imaginum emissiones diminuerent objecta, ac ista, tandem interirent. 2.º mens, solum a sensibus haberet ideas. 3.º haec simulacra, veluti corporea, in aere colliderentur, reflecterentur &a, ac numcuam illibata ad mentem pervenirent, ideo cognitio non esset exacta. 4.º, de absentibus nuncuam efformaretur idea. 5.º, tandem, anima erit materialis, ut illae imagines in ea agerent; sed omnia haec sunt absurda: ergo.

PROPOSITIO. 4a. *Mens à sensibilibus determinata ideas sibi cudit sprituales.*

243 Prob. Mens pro número sensationum habet ideas: ergo, ideae a sensuum motionibus excitantur; sed hae ideae nequeunt fieri animae intelligibiles, nisi fiant spirituales, alioquin non propria vi cogitaret, neque ideas prolibito uniret, extenderet, abstraheret, consociaretque, uti intimo sensu convincimur: ergo mens &a.

